CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
DE LOUVAIN-WASHINGTON

Les volumes du CSCO sont actuellement désignés par un sigle en deux parties qui exprime leur numéro d'ordre dans la *collection* et leur numéro d'ordre dans la *section* à laquelle ils appartiennent (Aeth. = éthiopienne. Ar. = arabe, Arm. = arménienne, Copt. = copte, Iber. = géorgienne, Syr. = syriaque, Subsidia); quand le volume est une version, la seconde partie du sigle est mise en italiques, — par ex. CSCO 133 / Syr.68 (qui est un texte). mais CSCO 134 / *Syr.69* (qui est une version). Dans le présent Catalogue général, la désignation utilisée autrefois pour les vol. 1-123 et 125 fait suite à la désignation actuelle; T indique un volume de texte, et V un volume de version.

Le Catalogue général est envoyé sur simple demande adressée au secrétaire général de la Collection.

Souscriptions, commandes, offres de collaboration et, d'une manière générale, toute correspondance relative au CSCO doivent être adressées comme suit :

Professeur René DRAGUET,
Secrétaire général du CorpusSCO
49, Chaussée de Wavre, LOUVAIN-HÉVERLÉ, Belgique.

Derniers volumes parus :

208 / Aeth.39. M. VAN DEN OUDENRIJN, *Helenae Aethiopum reginae quae feruntur preces et carmina.* 1960. xvii-199 p. — V : vol. 211.
209 / Ar.22. P. CACHIA, *Eutychius of Alexandria, The Book of the Demonstration (Kitāb al-Burhān),* II. 1961. 153 p. — V : vol. 210. Cfr vol. 192.
210 / *Ar.23.* W. MONTGOMERY WATT, *Eutychius of Alexandria, The Book of the Demonstration (Kitāb al-Burhān),* II. 1961. 96 p. — T : vol. 209. Cfr vol. 193.
211 / *Aeth.40.* M. VAN DEN OUDENRIJN, *Helenae Aethiopum reginae quae feruntur preces et carmina.* 1961. xiv-141 p. T : vol. 208.
212 / Syr.88. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Sermones de Fide.* 1961. v-54 p. — V : vol. 213. Cfr vol. 154, 169, 174, 186 et 198.
213 / *Syr.89.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Sermones de Fide.* 1961. iii-82 p. — T : vol. 212. Cfr vol. 155, 170, 175, 187 et 199.
214 / Syr.90. A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). Œuvres spirituelles, II. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 1-7). 1961. 95 p. — V : vol. 215. Cfr vol. 200.
215 / *Syr.91.* A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). Œuvres spirituelles, II. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 1-7). 1961. 100 p. — T : vol. 214. Cfr vol. 201.
216 / Arm.3. C. J. F. DOWSETT, *The Penitential of David of Ganjak.* 1961. ix-97 p. — V : vol. 217.
217 / *Arm.4.* C. J. F. DOWSETT, *The Penitential of David of Ganjak.* 1961. xvii-88 p. — T : vol. 216.
218 / Syr.92. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Carmina Nisibena,* I. 1961. vii-87 p. — V : vol. 219. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198 et 212.
219 / *Syr.93.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Carmina Nisibena,* I. 1961. vi-112 p. — T : vol. 218. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199 et 213.
220 / Subsidia 18. L. LELOIR, *Doctrines et méthodes de S. Ephrem d'après son Commentaire de l'Evangile Concordant (original syriaque et version arménienne).* 1961. viii-72 p.
221 / Aeth.41. Kurt WENDT, *Das Maṣḥafa Milād (Liber Nativitatis) und Maṣḥafa Sellāsē (Liber Trinitatis) des Kaisers Zar'a Yā'qob.* I. 1962. vi-127 p. — V : vol. 222. Cfr vol. 235.

(voir suite au recto)

Imprimerie orientaliste, s.p.r.l., Louvain (Belgique)

SCRIPTORES COPTICI, T. 11. — S. PACHOMII VITA BOHAIRICE SCRIPTA. — VERSIO

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
Vol. 107

SCRIPTORES COPTICI
TOMUS 11

S. PACHOMII VITA
BOHAIRICE SCRIPTA

INTERPRETATUS EST

L.-TH. LEFORT
Professeur à l'Université de Louvain

LOUVAIN
SECRÉTARIAT DU CORPUSSCO
49, CH. DE WAVRE
1964

RÉIMPRESSION ANASTATIQUE



Secretarius generalis :
R. DRAGUET
chaussée de Wavre, 49, LOUVAIN-HÉVERLÉ (Belgique).

Prière d'adresser les commandes au Secrétaire Général
Orders should be sent to the Secretary General



SCRIPTORES COPTICI

SERIES TERTIA — TOMUS VII

S. PACHOMII VITA
BOHAIRICE SCRIPTA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM
ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

SCRIPTORES COPTICI

SERIES TERTIA

TOMUS VII

VERSIO

LOVANII MDCCCCXXXVI

S. PACHOMII VITA

BOHAIRICE SCRIPTA


INTERPRETATUS EST

L. TH. LEFORT

LOVANII

EX OFFICINA ORIENTALI ET SCIENTIFICA

MDCCCCXXXVI



PROOEMIUM.

Unicus nobis hodie notus codex *Vitae* Pachomii eiusque discipuli Theodori, quae bohaïrica nuncupatur dialecto conscriptus, non nisi fragmenta sui nobis dereliquit [1]. Veri simile est fuisse ipsum exaratum circa medium saeculum IX^{m} et quidem in gratiam monasterii sancto Macario dicati quod in Oasi Scetensi situm erat. Coeptus est dispertiri, aetate incerta, cum foliorum suorum amplam iam partem perdiderat; in duas tandem truncatus partes, simul cum aliis quibusdam documentis, in synaxarium quoddam concrevit, e quo « legendae » pro prima medietate mensis Pachonis mutuari mos erat.

Iamvero, ex itinere suo aegyptiaco, quod anno 1715 suscepit, cl. I. S. Assemani rettulit, inter varios codices syriacos, copticos arabicosve, illud quoque synaxarium — reapse est codex qui hodie Vaticanus Copticus LXIX appellatur — in quo ferme totum continetur quod nobis ex praefata Pachomii Theodorique vita temporum iniquitas et humanarum rerum vicissitudines asservari permiserunt. Peropportune proin accidit ut cl. Tischendorf, labente anno 1844, ex eodem sancti Macarii coenobio, novum manipulum foliorum secum abducere potuerit, quorum duo pars integrans nostris quondam fuere. Et, hoc etiam die, folia duo haec in bibliotheca Universitatis Lipsiensis sub docta custodia conteguntur. Nec prospera minus fortuna evenit ut, volvente anno 1920, E. White, in latebra quadam praefati asceterii, relliquias quasdam manuscriptas detexerit, inter quas inventum fuit fragmentum folii alius eiusdem codicis, quod folium curiosis nunc etiam conspicere licet in Museo Metropolitano Neo-Eboracensi.

[1]) Cf. Prooemium editionis textus: *S. Pachomii Vita bohairice scripta* (*CSCO*, Lutetiae Parisiorum, 1925).

Porro primigenius noster codex numerabat quatterniones minimum triginta quinque, siquidem trigesimum quintum, excepto folio ultimo, integrum possidemus; summa igitur foliorum fuit circiter ducentorum septuaginta quinque. Et sex siquidem quatterniones priores, quorum nulla etiamnunc pars repperiri potuit, complectebantur textum quemdam cuius nos latet natura; coniectare nihilominus licet codicem integrum fuisse Pachomianum. Vita ipsa Pachomii Theodorique exordium ducebat a quatternione septimo, cuius primum necnon ultimum tantum folium hodie desiderantur; absolvebatur vero, ut prorsus probabile est, simul cum quatternione trigesimo quinto, cuius desideratur pariter folium ultimum. Ideo *Vita* haec integra primo constare debuit foliis circiter ducentis triginta; e quibus *Vaticanus* centum quadraginta tria, *Lipsiensis* duo, *Neo-Eboracensis* vero unum solummodo nobis asservant; in summa igitur supersunt folia centum quadraginta sex. Incipiebat *Vita* a folio quadragesimo sexto, signato paginarum numeris 91-92; narrandi finem faciebat in folio ducentesimo septuagesimo quinto, signato paginarum numeris 547-548. Ex antiqua serie desunt ergo folia signanda 46, 53, 60-61, 83-84, 156-159, 161-218, 221-235, 275.

Equidem alibi iam et fuse exposuimus[2] argumenta quorum vis persuasit nobis recensionem hanc bohaïricam nihil esse aliud quam tenuem admodum verborum traiectionem ex una pluribusve scripturis sahidicis, immo codicem ipsum unum et idem videre esse atque ipsius traiectoris autographum. Qui quidem traiector a sententia sua frequenter aberrans et quasi aliud agens necessario videbitur consideranti diligenter copiam lapsuum, qui dicuntur calami, verborum vel omissorum vel praeposteri ordinis, ut rem summatim complectar, mendorum omnis generis quae foedam eius operi faciem faciunt; tamen, ne veniat ille in nimiam vituperationem, nobis religio est dicere ipsum prae manibus habuisse archetypum, probabilius papyraceum, quem indicia plurima demonstrant mutilum passim fuisse. Quod quidem satis causae fuit cur, in definienda littera ipsa translationis nostrae, perpetua nobis censura opus

[2]) In ephemeride *Le Muséon*, t. XLIV, p. 115-135.

fuerit circa illum archetypum seu ipsius auctoris exemplar, nunc maxime ubi labor impensus in detegendis vel in ordine distribuendis fragmentis sahidicis feliciter finem habuit. Sicubi ergo lectorem nostrum ad textus sahidicos remiserimus, intelligitur constanter textus sahidicus qualis legitur in opere nostro: *S. Pachomii Vitae sahidice scriptae* (*CSCO*, Lutetiae Parisiorum, 1933-1934). Ultro confitemur lugendo nimis fato accidisse ut varii codices sahidici ad nos delati fuerint in forma admodum miseranda, adeo ut quis, si velit presse et sincere loqui, ruinas se tractare potius quam codices iure aestimaverit.

Quapropter, in hac nostra componenda opella, saepe etiam coacti fuimus ad consilium confugere testium quorumdam, qui nobis indirecte tantum textus sahidicos referunt, in specie vero ad duas recensiones arabicas. Harum prima, etiamnunc inedita, hodie exstat in Vaticano arabico LXXII; a quo, quatternionem si demis primum, qui codici iam conscripto a postera quadam manu additus fuit, prae manibus habebis immediatam aliquam translationem alicuius archetypi sahidici. Altera vero, quam gallice iam expressit et fecit iuris publici anno 1889 cl. Amélineau (Annales du Musée Guimet, T. XVII), cento quidem est cuius particulae plures a textibus sahidicis, aliae magis, aliae directe minus, ortum ducunt. Patebit quoque lectori nos *Vitas graecas*, quaecumque demum partes illis sint adscribendae in ordine fontium, haudquaquam neglexisse; citabimus vero illas, prouti leguntur in editione omnibus numeris absoluta quam debemus secundis curis P. Halkin (*S. Pachomii vitae graecae*, edid. Hagiographi Bollandiani, Bruxellis, 1932).

Praeterea notandum est nos operam dedisse ut in ipso translationis opere, stylo quam maxime simplici, ad normam ipsius archetypi, uteremur. Quod genus dicendi ut certius nancisceremur, innumera loca sacrae Bibliae vel ad loca biblica alludentia expressimus, repetendo, quantum vertenda sinebat sententia, ipsa verba nostrae Vulgatae latinae; haec loca, prudens lector, cum fuerint typis italicis impressa, sine ulla mole a reliquo textu internoscet.

Cum vero iam supra commemoratus Amélineau anno 1889 (op. laud.) primus translationem ediderit foliorum quae in Bibliotheca Vaticana conservantur, duximus usui fore lectori congruentiam aliquam instituere inter paginas dictae translationis et paginas huius novae nostrae lucubrationis; hanc paginarum concordantiam autumavimus necessariam uti medium quo lector facilius ad alienum opus, sicubi necesse fuerit, remitteretur; ad hunc scopum attingendum, iudicavimus nos affatim lectori satisfecisse, indicando ei, in parenthesi ( ), numerum et foliorum et paginarum codicis. Congruentiam vero inter versionem et textum bohaïricum editionis nostrae inveniat lector notatam numeris in margine oppositis.

Si quid in sermone nostro est elegans vel minus claudicat, laudi dare nos iuvat P. Scheuer, quem, ut ait Horatius, « non offendit limae labor et mora ».

Scribebam Lovanii XII kal. Ianuar. A. D. MCMXXXV.

***

Compendia et signa

S^1, S^2, S^3, S^4, S^5, etc. = Varii codices Sahidici.
Av. = Codex arabicus vaticanus LXXII.
Am. = Textus arabicus editus ab Amélineau.
G^1 = Vita prima graeca ed. Halkin, Bruxellis, 1932.
G^2 = Vita altera » (ibidem)
G^3 = Vita tertia » »
G^4 = Vita quarta » »
Paral. = Paralipomena »
Epist. Ammon. = Epistula Ammonis »
Dionys. = Vita S. Pachomii, interprete Dionysio Exiguo (P. L. LXXIII).

[VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ABBATIS PACHOMII]

1. [*periit cum folio primo quatternionis*]

2. [Talis enim fuit vita viri praeclari] (f. 130) in virtutibus, sancti patris nostri abbatis Antonii; talis etiam vita magni Eliae, et Elisei et Iohannis Baptistae; edocti sumus et de hoc eodem vitae instituto sancti patris nostri abbatis Amun, patris fratrum qui in monte Pernuğ sunt, et Theodori discipuli eius fidelis. Scimus quod, loco *doloris et gemitus*[1], *diffusa est gratia e labiis*[2] eius qui *benedictus* est et omnes *benedicit*[3], — *visitavit* enim *terram et inebriavit eam*[4] —. Inde etiam fuere in omni regione patres, monachi admiratione digni, sicut antea diximus, *quorum nomina sunt in libro vitae*[5]. In Aegypto autem et Thebaide nondum multi erant; post persecutionem vero Diocletiani et Maximiniani[6] paenitentia gentium multiplicata est in Ecclesia; et, episcopis viam ad Deum iuxta doctrinam apostolicam ostendentibus, fructum in virtutibus Spiritus sancti protulerunt et Christum dilexerunt.

3. (p. 94) Erat autem quidam nomine Pachomius in provincia Sne[1], cuius parentes gentiles erant; magnam a Deo misericordiam consecutus, christianus factus est in provincia Diospolitana[2] in vico nomine Šeneset[3]; et, cum profecisset, inventus est perfectus monachus. * Nunc igitur necesse est ut singulas vitae eius actiones ab infantia enarremus, ad gloriam Dei *evocantis* undique omnes *de tenebris in admirabile lumen suum*[4].

* p. 2.

1. Cf. G^1 § 1; Am p. 337.

2. G^1 § 2; Am p. 339. — [1] Cf. Is., XXXV, 10; L, 11. — [2] *Psalm.* XLIV, 3. — [3] Cf. *Ephes.*, I, 3. — [4] *Psalm.* LXIV, 19. — [5] Cf. *Philipp.*, IV, 3. — [6] Lege: Maximiani; cf. W. Liebenam, *Fasti consulares*, Bonn, 1909, p. 118.

3. S^{3a} p. 251; G^1 § 2^b; Am p. 339. — [1] Sne, graece: Latopolis. — [2] Diospolis parva, coptice: Hou. — [3] Graece: Chenoboscia. — [4] I Petri, II, 9.

4. Factum est, dum parvulus erat, quod parentes eius inducerent eum in templum in flumine sacrificaturi iis qui sunt in aquis[1]. Ut autem illi[2] trans aquam aspexerunt, iuvenem viderunt, turbati sunt et aufugerunt. Qui sacrificiorum praeses erat exclamavit: « Hinc hostem deorum expellite, ut nobis irasci desinant; propter eum enim non ascendunt ». Statim increpaverunt eum parentes eius: « Cur tibi irascuntur dii? » Iuvenis autem ad Deum ingemuit et in domum suam abiit. Factum est etiam quadam die, quod inducerent eum secum in templum parentes eius sacrificium ibi oblaturi. (f. 131) Ut autem adorationis finem fecerunt, potaverunt eum vino quo daemonibus libaverant; at illud statim reiecit acriter. Et parentes propter eum doluerunt, quia dii sui erant ipsius inimici.

5. Factum est etiam alias, quod parentes eius darent ei ollam carnis bubali, ut illam ad operarios in quodam loco operantes ferret. Dum autem ibat ambulans in via, misit ad eum diabolus multitudines[1] daemonum sub figura canum qui eum occiderent. Ipse autem puer* oculos ad caelum elevavit, flevit; et statim dispersi sunt. Confestim diabolus formam senis accepit et dixit ei: « Hi dolores in via te apprehenderunt, quia parentibus tuis non pares ». Puer autem in faciem eius flavit, et statim evanuit diabolus. Deinde cum introductus esset in locum quo iret, ollam carnis operariis tradidit. Necesse autem fuit ut ibi dormiret; vespere autem facto, una e duabus valde pulchris filiabus, quas habebat herus loci, apprendit eum[2]: « Dormi mecum ». Ipse autem turbatus est, quia hanc rem odio habebat utpote impuritatem malumque peccatum coram Deo et hominibus. (p. 96) Et ad ipsam locutus est: « Absit ut hanc rem impuram admittam; num oculi canis mihi sunt ut dormiam cum sorore mea? » Et ita Deus salvavit eum e manibus illius; et citato cursu fugit, donec pervenit in domum suam.

4. G[1] § 3[a]; Am p. 340. — [1] Urbs Latopolis nomen trahit a quodam pisce λάτος vocato, quem incolae venerabantur. — [2] Id est pisces. Textus codicis fuit posterius perperam correctus; primigenius textus est: ⲉⲧⲁⲩϫⲟⲩϣⲧ ⲇⲉ ⲉϧⲣⲏⲓ (leg. ⲉϩⲣⲏⲓ) ⲉⲡⲓⲙⲱⲟⲩ, et rectus videtur.

5. S[4] p. 210; S[8] p. 206; Am p. 340. — [1] Incipit S[4] fragm. 1. — [2] Linea sahidica probabilius omissa: ⲉⲥϫⲱ ⲙ̄ⲙⲟⲥ ⲛⲁϥ « et dixit ei »; cf. Am p. 340.

6. Cum autem monachus factus est, haec enarravit fratribus ut et ipsi sibi caverent; et locutus est cum eis de interpretatione huius narrationis his verbis: « Ne putetis daemones qui sunt boni ignari, e praescientia futurorum, me ex illo loco expulisse, quasi aliquando consecuturum misericordiam in fide vera; minime, sed quia me potius videbant tunc malum odio habere[1]; nam *fecit Deus hominem rectum*[2]*;* propterea ministros suos impulerunt ut me inde expellerent; ad modum agri mundi de quo omnes dicent: * sane hic ager ab omni zizania mundus, semine bono seretur »[3].

7. Paulo autem post, finitaque persecutione, regnavit magnus Constantinus, primus (f. 132) regum romanorum christianus; et, non multo post initium regni eius, cum eo certavit tyrannus e Perside volens regnum e manu eius eripere. Statim in toto orbe regni sui mandavit ut comprehenderentur maiores validique tirones, ut cum Dei hoste bellum iniret. In omnes regiones cum decreto regio egressi magnates palatii apprehenderunt omnes qui validi erant per urbes et vicos. Ipse autem quoque iuvenis Pachomius apprehensus est in vicesimo suo anno; revera non validior erat, sed prae copiosa multitudine apprehensa, ipse quoque apprehensus est cum aliis. Et eductus ad navem ut cum sociis imponeretur elevavit oculos ad caelum et ingemuit his verbis: « Domine Iesu, *fiat voluntas tua*! »[1] Impositis autem illis in navem, navigatum est ad septentrionem. Ut pervenerunt ad Sne[2] regni antiqui metropolim, in urbem adducti sunt et in carcere positi. Vespere facto, cives civitatis panes et cibaria in carcerem attulerunt (p. 98) et viros apprehensos coegerunt comedere; videbant enim eos in magna afflictione positos. Ut autem eos

6. S[4] p. 210; S[8] p. 206; G[1] § 3[b]; Am p. 341. — [1] Cf. *Paralip.* § 25[b]. — [2] *Eccles.*, VII, 30. — [3] S[4] addit: ⲛ̄ⲛⲁⲩ ⲛⲓⲙ.

7. S[4] p. 211; G[1] §§ 4-5[a]; Am p. 342. — [1] Cf. MATTH., VI, 10. — [2] Sic etiam Am p. 343 (اسنا), id est, Latopolis. Tamen videtur legendum Ne, quae est Diospolis magna seu Thebae, metropolis antiqui regni. S[4] legit Ne: ⲛⲏ ⲧⲡⲟⲗⲓⲥ ⲛ̄ⲧⲙⲛ̄ⲧⲉⲣⲟ ⲛ̄ⲁⲣⲭⲁⲓⲟⲥ. G[1] habet: εἰς πόλιν τῶν Θηβαίων. G[2]: ἔν τινι πόλει τῶν Θηβῶν. G[3]: εἰς πόλιν τῶν Θηβῶν. G[4]: εἰς τινα πόλιν τῶν Θηβῶν. Nunquam enim fuit Latopolis metropolis antiqui regni.

* p. 5. vidit iuvenis Pachomius, * dixit sociis suis: « Quare viri illi nobiscum hanc benevolentiam agunt, nec nos quidem cognoscunt »? Responderunt ei: « Viri christiani sunt, et hoc nobiscum amanter agunt propter Deum caeli ». Ipse autem secessit et totam noctem egit orando Deum his verbis: « Domine Iesu Christe, Deus sanctorum omnium, benignitas tua cito me prehendat! salva me ex hac tribulatione, et ego humano generi omnibus diebus vitae meae famulabor! »[3] Mane autem facto, educti sunt, in naves impositi, et navigaverunt, donec pervenerunt ad urbem Antinoeam. Et cum itineris socii propter corporis necessaria per urbes ascendebant, — annona regia illis distribuebatur, — Pachomium saepissime cogebant trahendo ad loca mala voluptatum saecularium causa; ipse autem illos reprehendebat, quia amabat puritatem hanc quam amant Deus angelique eius sancti.

8. Dum in carcere Antinoeae urbis detinebantur, per auxilium Dei vicit eos qui secum debellabant pius rex Constantinus. Statim edictum emisit in totum mundum ut dimitterentur tirones. Dimissi autem abierunt singuli in domos suas cum gaudio. Iuvenis etiam Pachomius tetendit ad austrum, donec pervenit ad desertum vicum, nomine Šeneset, prae nimio aestu adustum; et coepit hunc locum perlustrare; in eo non multi sed * aliquot habitabant homines. Ingressus[1] est parvum templum, prope flumen, « locum Serapidis » ab antiquis vocatum[2]. Cum autem orare coepit, a Spiritu Dei motus est: « Certa et consiste hic ». Ipsi autem res placuit; et sedit ibi, et coluit pauca olera palmasque propter necessaria victus, vel propter pauperes in vico, vel propter peregrinum in navi aut in via transiturum. — Colloquebatur enim cum multis, ita ut homines domos relinquerent, venirent et in illo vico habitarent propter modum quo animos excitaret; (p. 100) nam propter conversationem eius habitaverunt ibi —. Et postquam paucos egit dies, ad ecclesiam ductus est et baptizatus, ut

* p. 6.

[3] Desinit S[4] fragm. 1.

8. G[1] § 5[b]; Am p. 344. — [1] ⲉϩⲟⲩⲛ, corrige: ⲉϧⲟⲩⲛ. — [2] Hic locus vocatur, alia occasione, in S[5] p. 145, l. 15: ⲡⲙⲁ ⲙ̄ⲡⲉⲥⲧⲉⲣⲡⲟⲥⲉⲛ. i. e. Lateraria.

dignus efficeretur sanctis mysteriis, id est, corpore et sanguine Christi. In nocte autem in qua baptizatus est somnium vidit: vidit rorem caeli super caput suum descendere, postea densari et favum mellis fieri in manu sua dextera; et dum considerabat, cecidit favus in terram et diffusus est super faciem totius terrae; et dum anceps animo stabat, facta est ad eum e caelo vox: « Nosce hoc, Pachomi; tibi enim aliquando fiet »[3]. Proficiebat in illo loco per benevolentiam erga omnes et hortabatur omnes qui ad se venirent, ita ut fama sua tangeret multos qui propter ipsum venirent * ibique habitarent. * p. 7.

9. Postea autem gravis pestilensque morbus in illo vico accidit, ita ut multi morerentur. (f. 134) Ipse ibat et famulabatur illis; spinarum magnas sarcinas ignis alimenta asportabat et inter illos distribuebat; in proximo enim erat silva spinarum valde copiosa; uno verbo, illis famulabatur, donec a Deo gratia sanationis donarentur. Ut autem a morbo convaluerunt, secum reputavit his verbis: « Hoc opus, id est aegrotorum in vico servitium, non est monachi, sed solum clericorum seniorumque fidelium; ego autem abhinc non mihi assumam ut id faciam; ita ut alius se abstineat, scandalum me prehendat hac de causa et verbum scriptum me attingat: *anima pro anima*[1]; scriptum est enim: *servitium sanctum et immaculatum apud Deum et Patrem hoc est, visitare orphanos et viduas, et immaculatum se custodire a saeculo* »[2].

10. Postquam tres annos in hoc loco egit, cum videret se ita a multitudine circumdatum ut in angustia esset, — (p. 102) non enim sinebant eum quietam vitam agere —, tunc in animo habuit fieri monachus vitamque anachoreticam petere. Dum rem secum reputat ut ex hoc loco migraret, audivit de seniore veteri et asceta, nomine abbate Palamone, * magno monacho paululum extra vicum degente, exemplo patreque multorum in vicinitate. Statim locum suum commisit in manus alius senioris monachi, qui curam paucorum olerum pal- * p. 8.

[3] Cf. S[10] p. 72.

9. G[1] § 6; Am p. 345. — [1] *Exod.*, XXI, 23; *Levit.*, XXIV, 18. — [2] IACOB., I, 27.

10. S[4] p. 214; G[1] § 6; Am. p. 346.

marumque ad usum pauperum susciperet, surrexit, petivit locum sancti senioris abbatis Palamonis et pulsavit ostium mansionis eius. Hic statim per fenestram aspexit, vidit eum et dixit dure: « Quare tu pulsas? » sermo enim eius asper tantillum erat. Respondit Pachomius: « Volo ut sinas me monachum apud te fieri, pater ». Dixit senior abbas Palamon: « Quod quaeris non est prorsus mediocre; etenim multi ob eam causam huc venerunt, nec sustinuerunt; (f. 135) sed *retrorsum* cum pudore *conversi sunt*[1], quia pati in virtute noluerunt, licet in multis locis nos iubeat Scriptura hortando ad patiendum in ieiuniis vigiliis et orationibus multis ut salvemur; nunc igitur abi, sta in tua mansione, inceptum prosequere et honoraberis coram Deo. Vel etiam: in omnibus te recognosce, utrum sustinere possis, et tunc etiam ad nos reverteris; etenim qua hora veneris, parati sumus ad patiendum tecum iuxta mensuram infirmitatis nostrae, donec teipsum cognoscas; tamen tibi dicemus * vitae monachorum mensuram, abibis, probabis te prius et videbis utrum opus ferre possis, annon. Vitae autem monachorum regula iuxta modum quem ab antecessoribus nostris edocti sumus haec est: dimidiam noctem — et quidem saepissime a vespere ad mane — omni tempore agimus vigilantes, verba Dei meditantes et, ne gravemur a somno, tractantes opera manualia multa, sive funiculos, sive villos, sive palmarum fibras, ad sustentanda corpora nostra, (p. 104) reliqua, quae superant necessitatem nostram, pauperibus elargimus iuxta verbum Apostoli, *tantum ut pauperum memores essemus*[2]; edere autem oleum, bibere vinum aut aliquid coctum comedere sunt res apud nos omnino ignotae; omni tempore ieiunamus usque ad vesperam quotidie in diebus aestivis, in hibernis vero sive secundo sive tertio quoque die; regula autem collectae haec est: sexagies oramus in die, et quinquagies in nocte, praeter orationes quas breviter facimus, ne mendaces fiamus; quia mandatum est nobis *sine intermissione orandi*[3], et *tristatur aliquis vestrum, oret*[4]; Dominus etiam noster Iesus Christus mandavit discipulis suis: *orate ut non intretis in ten-*

*p. 9.

[1] Cf. II Petri, ii, 21. — [2] *Galat.*, ii, 10. — [3] I *Thess.*, v, 17. — [4] Iacobi, v, 13.

tationem[5]; nam oratio mater est omnium virtutum. Nunc igitur ecce te edocui vitae monachorum legem; tu autem abi, * proba te in opere; et si quae te docui agere potueris nec cum pusillanimitate *retrorsum converteris*[6], tunc tecum gaudebimus in omnibus...

*p. 10.

[p. 105-106 *desunt*][7]

(f. 136) a vespere[8] ad mane in orationibus meditationibus et manualibus operibus multis propter nimium somnum, et videret utrum sine animi defectione sustineret. Sero autem facto, paululum panis comederunt; et senior iuveni Pachomio dixit: « Madefac nobis iuncos, ramos et fibras palmarum, quantum sufficit ad noctem, quia regula iubet nos a vespere ad mane vigilare in nocte sabbati ». Pachomius autem cum magna obedientia fecit sicut praecepit pater suus abbas Palamon. Deinde paulo post solis occasum orare coeperunt et vigiliam persecuti sunt Deum benedicentes et opera manualia sine intermissione tractantes. Si somno torquebantur in labore, ad aliud opus transibant, ut a se somnum abicerent nimis gravantem; si deinceps se somno torqueri videbant, surgebant egrediebantur ad montem extra mansionem situm et in sportis arenam e loco in locum transportabant torquentes corpora sua ut orationi ad Deum attenderent. Et cum (p. 108) * senior iuvenem somno oppressum videret, animum eius recreabat his verbis: « Attende tibi, ô Pachomi, *ne tentet te Satanas*[9], quia multi in afflictione sua decubuerunt propter nimium gravantem somnum[10] ». Ut autem senior vidit eum sustinere usque ad horam collectae, de obedientia profectuque eius valde gavisus est, laetus etiam de propria salute.

*p. 11.

11. Factum est autem in die absolutionis sanctae Paschae, quod senior abbas Palamon diceret[1] ei: « Fili mi Pachomi, quoniam magna dies est hodie, surge et nobis cibum para; meridie paululum edemus et vespere facto paululum etiam comedemus ». Surrexit statim et praeparavit. Et postquam

[5] Matth., xxvi, 41. — [6] Cf. II Petri, ii, 21. — [7] Id est, folium ultimum quaternionis; supplere licet ex Am p. 348-349. — [8] Incipit in lacuna S⁴ fragm. 2. — [9] I *Cor.*, vii, 15. — [10] Cf. *Act.*, xx, 9.

11. S⁴ p. 215; G¹ § 7; Am p. 351. — [1] Desinit S⁴ fragm. 2.

oraverunt, sederunt ut comederent. Considerando autem sal senior vidit paululum olei in sale a iuvene infusi; percussit faciem suam solam [2] et dixit: « Dominus pro me crucifixus est, et ego comederem oleum quod firmat carnem! vel edamus olera sine oleo et aceto, vel cinerem in sal iniciamus! ita edamus ⌜ut non derelinquamus [3] legem patrum nostrorum, neque comedamus quod firmet carnem! » Statim recessit ne comederet usque ad posterum diem. (f. 137) Iuvenis autem Pachomius effudit sal oleo mixtum et aliud attulit in quo cinis dabatur; deinde cum magna humilitate coepit rogare eum: « Dimitte mihi, domine pater; surge et comede ». Tunc iuravit senior * sanctus his verbis: « Nisi lampadis sanctuarii sancti [4] causa et propter opus villorum esset, non sinerem hoc genus, id est oleum, in mansione mea ». Respondit Pachomius: « Dimitte mihi, pater sancte, quia ego peccavi ». Tunc surrexit senior⌝; sederunt et comederunt paululum panis, defluentibus in genis suis lacrimis.

12. Cum autem videret iuvenis Pachomius senioris abbatis Palamonis fortitudinem, a mansione saepe discedebat, sepulcra mortuorum plena petebat et totam noctem a vespere ad mane agebat in oratione ad Dominum Iesum, ita ut locus, in quo staret, sicut lutum fieret propter nimium sudorem corporis sui [1]. Post quattuor [2] autem annos visionem vidit Pachomius quam prius viderat, scilicet rorem caeli super se descendentem, decidentem et totius terrae faciem implentem [3], (p. 110) vidit etiam claves sibi in secreto traditas. Mane autem facto, sancto seniori abbati Palamoni visionem quam viderat enarravit; hic valde anceps dixit: « Magnus est sensus in interpretatione huius facti, fili mi Pachomi; tamen fiat voluntas Domini! »

13. Factum est aliquando in die festo Epiphaniae, quod Pachomius redux a silva spinarum veniret, aspiceret et videret

[2] Molestiae gestus; cf. ARISTOPH., *Vesp.*, 584; *Plut.*, 612. — [3] Probabilius fuit sahidice: ⲛ̄ⲧⲛ̄ⲧⲟ̄ⲕⲱ = Boh. ⲛ̄ⲧⲉⲛ<ϣⲧⲉⲙ>ϫⲱ, negatione ex haplographia omissa; cf. Am p. 351. — [4] Cf. G^4 p. 415, l. 2.

12. G^1 § 12^b; Am p. 352. — [1] Cf. S^1 p. 2, *16*, *26*; S^3 p. 109; G^1 § 16. — [2] Am: ثلث « tres ». — [3] Cf. supra § 8.

13. Am p. 352.

seniorem ignem sub olla accendentem; in se miratus est: « Quid igitur coquitat senior hodie? » Paulo autem post dixit senior: * « Pachomi, festina, affer catinum ». Ut autem catinum attulit iuvenis, senior ollam detexit et effudit in catinum; et ecce, durae ficus erant; reperiebatur enim ibi arbor ficus manibus eorum irrigata ad usum cuiusvis aegroti. Deinde surrexerunt oraverunt et gratias Deo agentes comederunt; nam valde *esuriens etiam amarum pro dulci sumet* [1].

14. Factum est etiam aliquando, cum circum prunas sederent, opera manualia simul operarentur et Scripturam memoriter [1] meditarentur, (f. 138) quod tunc frater prope illos habitans ad ostium conveniret. Statim surrexit Pachomius et ostium aperuit ei. Hic autem, ut ingressus est, cum superbia [2] locutus est; visis autem carbonibus, et diabolo cor implente, dixit illis: « Gloriamini vos esse exercitatores coram Deo! nunc igitur, qui fidem habet inter vos, surgat, stet super prunam hanc et orationem Evangelii [3] dicat ». Cum ira magna sanctus senior abbas Palamon respondit his verbis: « Maledictus daemon, qui hanc pravam cogitationem in cor tuum iniecit! nunc igitur, sufficiat ». Hic autem seniori sancto non paruit, sed, per eum qui in se agebat, verba recitans superbe *posuit pedem suum super prunas, nec plantae ullo modo offensae sunt* [4], et statim ambulavit cum superbia magna, donec * ad domum suam pervenit. Pachomius dixit seniori: « Domine pater, Dominus scit me miratum esse hunc fratrem qui super hunc tantum ignem ascenderit nec plantae eius combustae sint ». (p. 112) Respondit beatus abbas Palamon et dixit ei: « O fili mi Pachomi, ne hunc mireris! sane enim per virtutem daemonis, Domino succurente, non combustae sunt plantae eius,

[1] *Prov.*, XXVII, 7.

14. Av f. 10r (cum f. 10r incipit primigenius textus); S^5 p. 131; S^4 p. 216; G^1 § 8; Am p. 353. — [1] Cf. Ephem. *Le Muséon*, XXXIV (1921), p. 175. — [2] Incipit S^5 fragm. 1. — [3] Incipit S^4 fragm. 3. — [4] Cf. *Prov.*, VI, 28. Ad inlustrandam hanc narratiunculam interest notare versus 28-29: περιπατήσε τις ἐπ᾿ἀνθράκων πυρός, τοὺς δὲ πόδας οὐ κατακαύσει; οὕτως ὁ εἰσελθὼν πρὸς γυναῖκα ὕπανδρον, οὐκ ἀθωωθήσεται, οὐδὲ πᾶς ὁ ἁπτόμενος αὐτῆς.

secundum quod scriptum est: *ad obliquos vias obliquas mittet Deus*[5]; confide, fili mi, si enim dolores hunc affecturos scires miseriae eius illacrimares ». Et paucos post dies, cum eum in mansione stantem et valde superbientem videret daemon qui eum prius deceperat ad superbiendum, tunc formam pulchrae mulieris assumpsit et pulsavit ostium mansionis in qua hic habitabat. Hic celeriter progressus est et ostium aperuit. Daemon forma mulieris indutus dixit illi: « Oro te, domine pater, ut mei miserearis[6] et ad te me recipias usque ad mane; alioquin, opprimar propter debita et non habeo quo retribuam creditoribus ». Ille autem prae caecitate mentis non discrevit eam non recipiendam esse; sed accepit eam et introduxit in mansionem suam laetabundus. (f. 139) Deinde coepit daemon mentem eius carnalis libidinis configere sagittis. Et ille inclinavit ut cum ea peccaret. At subito evertit eum daemon * et usque ad posterum diem valde cruciavit. Ut autem animum recepit ille, cucurrit[7] petivit sanctum seniorem abbatem Palamonem et ad pedes eius prostratus rogavit eum cum magnis amarissimisque lacrimis his verbis: « Domine pater, adiuvent me preces tuae sanctae et ora Dominum pro me, ut mei misereatur in eo quod mihi ipsi elegi, et succurre infelicitati meae, quia opprimor; ego enim sum causa propriae ruinae; nam me saepissime docuisti utilitatem animae meae, sed superbia prohibuit quominus obedirem tibi et salvarer; nunc igitur, vae mihi! me miserum! » Sanctus autem senior abbas Palamon et Pachomius cum viderent afflictionem eius, fleverunt cum magno dolore, illum continuerunt et excitaverunt in magno tremore positum. Et dum simul flebant, iterum in terram evertit illum daemon et magis cruciavit. (p. 114) Ipsi autem supra illum steterunt et pro illo ad Dominum oraverunt cum lacrimis, donec confirmaretur animo et staret coram ipsis. Et dum se accingebant ad eum continendum et introducendum solum in locum, donec a spiritu impuro sanaret eum Dominus, vir per virtutem inhabitantis daemonis magnum arripuit baculum ut occideret utrumque. Ipsi autem continere eum non valuerunt; statim au-

[5] *Prov.*, XXI, 8. — [6] Desinit S[4] fragm. 3. — [7] Desinit S[5] fragm. 1.

fugit per septentrionalem montem donec Šmin[8] intravit, proiecit seipsum * in caminum balnei et miserè combustus est. Senior abbas Palamon valde doluit propter animam miseri illius et saepissime loquebatur cum Pachomio et cum omnibus in propinquo aut etiam in toto monte fratribus; nam illis pater consolatorque erat; et saepissime memoriam huius miseri in medio proferebat, timorem illis incutiens e Scriptura: « Videte hunc qui spiritui, — cui non est potestas —, locum dedit; quid enim ei fecit! (f. 140) non solum animae eius miserae sed et corpori infelici! » Fratres autem, ut audierunt tremenda verba patris sui abbatis Palamonis, turbati sunt, ita ut deinceps cum magna fortitudine sibi caverent et salvarentur; magis vero timebant exemplum eius considerando; nam semper crucem Christi in carne sua portabat[9].

15. Pachomius etiam magis incumbebat ad magna exercitia magnas multasque asceses et magnas in libris sacrae Scripturae meditationes; in corde suo attendebat ut eas in magna tranquillitate secundum ordinem earum meditaretur. Maiorem partem laborum suorum efficiebat in desertis magnaque circumiacente spinarum silva et in remoto deserto. Etiamsi spinae in plantis eius inserebantur, patiebatur, nec eas evellebat, memor clavorum in Domino nostro * Iesu crucifixo infixorum. Senior autem abbas Palamon cum omnibus in monte illo habitantibus degebat. Illi mirabantur ipsum fortiaque quae cum magna patientia ne deterior esset agebat.

16. (p. 116) Senior autem abbas Palamon lienis morbo aegrotabat propter nimias asceses, praesertim propter modum quo in senectute ab exercitiis non quiescebat. Cum viderent eum morbo laborantem vicini et etiam veteres quidam a longe advenientes, arcessiverunt magnum doctumque medicum qui forsan ei remedium adhiberet. Ut autem ad eum venit[1] medicus, dixit illis: « Cum eo non agitur de medico, sed tantum de labore exercitiorum; nunc igitur, si consenserit et paucas escas sibi

[8] Graece Panopolis. — [9] Cf. G[1] § 7, *27*.
15. Av f. 11[v]; G[1] §§ 9, 11; Am p. 356.
16. Av f. 11[v]; S[3] frg 1; G[1] § 13; Am p. 357. — [1] ⲉⲧⲁⲩⲓ̄ pro ⲉⲧⲁϥⲓ̄, vel intellige « venerunt fratres et medicus. »

bonas comederit, tunc sanabitur ». Et fratres rem cum magnis precibus ei suaserunt; ipse obedivit eis et comedit quasdam escas quas aegroti edere solent. Postquam autem per aliquot dies illas comedisset, scivit se non sanatum iri, et locutus est cum fratribus his verbis: « Ne reputetis sanationem esse in escis perituris; sed sanatio et robur sunt a Domino nostro Iesu Christo; nam si Christi martyres membris secti sunt, decollati, in igne adusti[2] (f. 141) et ea sustulerunt usque ad mortem per fidem quam in Deum habebant, tunc ego dignus sum qui minimo morbo debiliter! etsi vobis obedivi, vobis indulsi, comedi * escas quae[3] corpus firmare reputantur, tamen nulla mihi evenit sanatio ». Et ita iterum reversus est ad asceses suas magnosque labores, donec patientiam fortitudinis eius videret Dominus, quietum redderet et a morbo sanaret. Iuvenis autem Pachomius eum in omni *opere quo indutus erat*[4] aemulari conabatur.

17. Factum est aliquando, cum per desertum illud in multis magnisque spinis secundum consuetudinem suam progrederetur, et circiter decem milliaria spiritus impetu ambularet usquedum vicum desertum prope flumen nomineque Tabennesi vocatum inveniret, quod in animo haberet hunc locum intrare ibique paulisper orare; et secutus est eum qui ipsum ad id faciendum movebat. Locum ingressus extendit manus et oravit ad Dominum ⸢Iesum Christum, ut voluntatem eius edoceretur[1]. (p. 118) Dum in oratione perseverabat, vox e caelo ad eum facta est: « Pachomi, Pachomi, certa, hic consiste et monasterium constitue; multi enim ad te venient, apud te monachi fient et animabus suis proderunt ». Et statim ad patrem suum seniorem abbatem Palamonem reversus est, et enarravit ei quae audierat. Et senior flevit et dixit: « Agedum, post hos septem[2] annos quos cum tanta obedientia me sustinuisti, tu quoque nunc discedes a me in senectute mea? tamen voluntas Domini

[2] Cf. *Hebr.*, XI, 37. — [3] Incipit S^3 fragm. 1. — [4] Cf. *Coloss.*, III, 10, 12.
17. Av f. 12^v; S^3 p. 100; G^1 § 12; Am p. 358. — [1] Verba haec desunt in Av; saepe in sequentibus, similiter desinente pagina, huiusmodi glossemata vel textus retractationes occurrunt. — [2] Sic etiam S^3; Av vero: سبعة عشر « septemdecim ».

semper fiat! spero enim * fore ut visio quam primo et secundo vidisti tibi adimpleatur in illo opere tibi a Domino constituto. Nunc igitur, fili mi, surge; austrum petamus ut tibi parvam mansionem constituamus. Tu quidem semel ad me venies, et ego semel ad te veniam, donec visitet me Dominus ». Et ita ambo abierunt[3] et constituerunt mansionem. Et solebant abire et alter alterum cum gaudio amoreque divino visitare; et senior in multis Pachomio consilium dabat.

18. Revera non multo post aegrotavit senior. Statim Pachomium ab austro arcessiverunt ⸢fratres...

[*paginae* 119-122 *perierunt*.][1]

20. (f. 142) timuit Iohannes, aufugit ad ripam et interpellavit fratrem suum: « Festina, pete ripam, ne te prehendat et auferat crocodilus ». Risit Pachomius et dixit ei: « Iohannes, putasne feras sui iuris esse? minime ». Postea iterum impudentissime emersit ad eum crocodilus, et vix tres cubitus ab eo distabat. Pachomius autem aqua manum suam implevit et in faciem crocodili proiecit his verbis: « Damnet te Dominus, ne in aeternum huc revertaris ». Et statim immersus est crocodilus. Ut autem ex aqua ascendit Pachomius, frater eius Iohannes ad eum cucurrit et osculatus est os, manus pedesque eius cum magno gaudio et dixit ei: « Dominus * scit, frater, me quotidie dicere: ego maior te sum secundum carnem. Etsi te quotidie vocavi fratrem, abhinc te patrem vocabo propter firmam tuam in Dominum fidem ». Iohannes autem usque ad diem mortis suae exercitia magna ascesesque egit.

21. Pachomius magnas multasque daemonum tentationes, (p. 124) Deo permittente, sustulit ad experimentum sui aliorumque utilitatem. Et daemones coeperunt ei adversari aperte. Cum accideret interdum in oratione ut ad genuflectendum veniret, speciem putei ante eum efficiebat daemon, ut timeret nec Do-

[3] Av addit: « ad meridiem ».
18. Av f. 13^r; G^1 § 13^b; Am p. 359. — [1] In lacuna = S^5 fragm. 2.
[19. Av f. 14; G^1 § 14; Am p. 360].
20. Av f. 15^r; S^3 p. 110; G^2 § 16^b; Am p. 363.
21. Av f. 15^v; S^1 p. 8; S^3 p. 110; G^1 §§ 18, 19, 22^b (ne omittas conferre G^3); Am p. 363.

minum oraret Pachomius. Hic autem instigatoris astutias agnoscebat, cum fide genuflectebat, Deum benedicebat ⌜gratias Christo agendo et[1] daemones pudore afficiens. Interdum etiam ipsi abituro, ut propriis rebus operam daret, hinc et inde antecedebant daemones ad modum militum prae principibus, et mutuo dicebant: « Locum viro Dei date », ea mente ut ad aspiciendum alliceretur. Vir autem Dei prae sua in Deo spe illos non aspiciebat, sed potius ut inutiles irridebat; et statim ab eo evanescebant. Interdum etiam mansionem eius excutiebant ut perterreretur ne collapsa domo obrueretur. Statim os suum aperiebat his verbis: *Deus refugium nostrum et virtus,* (* p. 21.) * *adiutor in tribulationibus nostris quae invenerunt nos valde; propterea non timebimus dum turbabitur terra*[2]. (f. 143) Sedenti alias et operanti unus e daemonibus factus est ut gallus et exclamavit in faciem eius. Ipse autem clausit oculos, non aspexit nec omnino commotus est. Cum autem viderent malefici daemones se non posse eum decipere, attulerunt rem folio arboris similem et magnum crassumque funem ita ut viderentur homines multi qui opus nimis laboriosum perficerent; fecerunt perinde ac si funem ad magnum lapidem trahendum alioque invehendum alligarent; haec revera omnia agebant et voce magna clamabant, ut, si aspiceret et rideret, ei dominarentur. Statim manus suas extendit et oravit cum suspiriis, donec dissipati sunt et evanuerunt. Saepissime etiam, dum panem comesurus sedebat, veniebant ad eum sub specie nudarum mulierum quae sedebant comesurae et ipsae cum eo. Vir autem Dei oculos et cor suum claudebat, donec deleti et dispersi essent. Rogabat Dominum ut a se somnum auferret, ne dormiret priusquam vinceret eos qui secum bellabant, sicut scriptum est: *non convertar, donec deficiant inimici mei*[3]. (p. 126) Et Dominus postulatum aliquando donavit ei, adeo ut ab eo turpiter everterentur et timerent a facie eius.

(* p. 22.) **22.** Dum etiam aliquando in quodam loco[1] subsedebat * solus

[1] Glossema deest in Av. — [2] *Psalm.* XLV, 2-3; lege in textus: **ⲧⲉⲛϫⲟⲙ, ⲡⲉⲛⲟⲩⲃⲟⲏⲑⲟⲥⲡⲉ** (= **ⲡⲉⲛⲃⲟⲏⲑⲟⲥⲡⲉ**). — [3] *Psalm.* XVII, 38.

22. Av f. 16ᵛ; S³ p. 112; G¹ § 23; Am p. 365. — [1] Probabilius legendum: **ϧⲉⲛⲟⲩⲙⲟⲩⲓ**. Av: « in quadam insula ». G¹: ἐν νήσῳ. Cf. infra § 47, n. 1, et *Epist. Amm.* § 19.

et paucas arundines ad opus manuale metebat, cum ibi iuxta consuetudinem suam aliquando vigilaret, apparuit Domini angelus; qui dixit ei usque ter: « Pachomi, Pachomi, ⌜Pachomi[a], voluntas Domini est, ut humano generi ministres et illud ei concilies ». Ut autem abiit angelus Domini, coepit pater noster Pachomius hanc rem considerare, utrum a Domino esset. Et cum finem metendi paucos iuncos fecisset, reversus est in monasterium suum.

23. Per providentiam Dei tres viri ad eum venerunt, qui sunt : Pšentaesi, Surus, et Pšoi; et dixerunt ei: « Volumus monachos apud te fieri et Christo servire ». Et locutus est cum eis, utrum a parentibus separari et Salvatorem sequi[1] possent; et probavit eos; et, cum videret formam eorum bonam, induit eos veste monachorum et ad se recepit cum gaudio amoreque divino. (f. 144) Illi autem, congregationem sanctam ingressi, in magnis exercitiis ascesibusque multis exercitati sunt. Et cum viderent eum laborantem solum in officiis monasterii, sive in cultu paucorum olerum, sive in praeparatione cibi, sive, si quis ostium monasterii pulsaret, eum etiam indicia praebentem, si quis aegrotaret, eum huic usque ad sanationem famulantem, et in corde suo de tribus viris[2] secum habitantibus dicentem: « Neophyti sunt, nondum * hunc consecuti sunt animum quo aliis serviant », (* p. 23.) immo ipsos ab omni officio immunes reddentem, dicendo: « Illud, *ad quod vocati estis*[3], *certate ut comprehendatis*[4] ad vestram salutem »; tunc locuti sunt cum eo his verbis: « Dolet cor nostrum de te, pater, quia te solum vidimus in monasterio laborantem ». Et respondit eis: « Quis iumento suo iugum imponit[5] ad agrum[6] et eius obliviscatur,

[a] Sic Av, et quidem recte.

23. Av f. 16ᵛ; S³ p. 112; G¹ §§ 25ᵃ, 24, 25ᵇ; Am p. 369. — [1] Cf. MATTH., IV, 22. — [2] Loco **ⲡⲓⲡ[ⲛⲁ]** in textu, lege: **ⲡⲓⲅ̅**. Av et Am: الثلاثة . — [3] Cf. I *Tim.*, VI, 12. — [4] Cf. I *Cor.*, IX, 24. — [5] Lege in textu: **ⲉⲑⲛⲁⲛⲟ[ⲩ]ϩⲉⲃ** rescisso margine. — [6] **ⲓⲟϩⲓ** « ager »; Av et Am: ساقية (« saqieh »), id est machina ad aquam hauriendam. G¹: μηχανήν. G² p. 189: ἐϱγασίαν. Dionys., XXIII: « laborare compellit ». Suspicor, cum W. E. Crum: (*Coptic Dictionary*, p. 90) textum sahidicum habuisse **ϩⲟⲓ** « saqieh », quod videsis apud W. SPIEGELBERG, *Kopt. Handw.*, s. v.

donec cadat et pereat? Ita etiam Dominus, si me defatigatum viderit, nobis immittet alios, (p. 128) qui nos in omni officio bono adiuvare possint ». Constituit enim illis e sanctis Scripturis regulas et typum innoxium et traditiones animabus eorum profuturas; vestem cibumque aequales et cubitum decentem. Revera pietatis eius fama in tota terra Aegypti diffusa erat.

24. Erant autem in quodam loco quinque fratres vitam anachoreticam agentes, viri fortes in opere Dei, qui sunt: abbas Piethoš[1], abbas Cornelius, abbas Paulus, abbas Pachomius et abbas Iohannes. Ut famam fidei eius sanae audierunt, surrexerunt, et venerunt ut cum eo habitarent. Ipse gaudio spiritali laetus accepit eos. Et cum etiam alii, qui in parte australi in quodam loco Thbacat vocato habitabant, de eo audiissent, surrexerunt numero octoginta viri; illos etiam accepit; sed, ut vidit in eis sensum carnis, * e mansione sua expulit. Et postea Dominus operatus est in multis; veniebant; et eos in lege Dei aedificans accipiebat.

25. (f. 145) Cum autem multos videret venire ad habitandum hunc vicum, assumpsit fratres; egressi sunt et ecclesiam sibi aedificaverunt, ut concilia haberent, et etiam quia multi in viciniis habitabant, pro quibus, quia[1] in magna paupertate degebant, oblationis curam suscipiebat. Solebat assumere fratres, hunc locum petere et sacra facere in die sabbati; ipse etiam illis erat lector; cavebat autem ne oculis aspiceret, iuxta verbum Evangelii: *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo*[2]. Et ubi centum homines fuerunt fratres, ecclesiam aedificavit in monasterio, ut in ea

24. Av f. 17^v; G^1 §§ 26, 38; Am p. 371. — [1] ⲡⲓⲉⲑⲱϣ « aethiopicus ». Auctor igitur bohairicus interpretatus est vocem sahidicam ⲡⲉϭⲱϣ (ⲡ-ⲉϭⲱϣ « aethiopicus »); deinceps vero eamdem personam vocat semper ⲡⲉϭⲱϣ (semel ⲡⲉϫⲱϣ). Av: بحوش cum voce coptica ⲡⲉϭⲟϣ supra lineam. G^1: πεκύσιος (= ⲡⲉϭⲱϣ). *Epist. Amm.* §§ 9, 14: πεκύσσιος. Dionys., XXIX: Pecusius. Am perperam: بحنس, et alibi (p. 391,*8*): اناسيوس.

25. Av f. 17^v: S^5 p. 134; G^1 §§ 29^a, 26^b, 27; Am p. 371. — [1] Incipit S^5 fragm. 3. — [2] MATTH., v, 28.

Deum benedicerent; tamen egrediebatur etiam ad vicum et oblationem faciebat[3] vespere sabbati; et clericus etiam monasterium adibat et fratribus oblationem faciebat mane diei dominicae; nemo enim inter illos constitutus erat[4] in ordine cleri sanctae Ecclesiae. ⌜Profecto nolebat pater noster Pachomius clericum esse in monasteriis suis propter invidiam vanamque gloriam[5]. (p. 130) Loquebatur enim cum eis saepissime hac de re: « Nobis non prodest quaerere officium huiusmodi in communitate, ne forte eo praetextu discordia, invidia et zelotypia fiant in medio monachorum * multorum, et etiam schismata, praeter Dei voluntatem; sicut ignis scintilla in aream iactata, nisi celeriter extinguatur, totius anni laborem perdet; ita est praecellentiae cogitatio in initio suo. Melius est ut convenienter Ecclesiae Dei subiciamur; et is, quem singulis temporibus a patribus nostris episcopis constitutum inveniemus, sufficiat nobis ad hoc officium ». Et cum clericus volens monachum fieri forte veniebat, si eum rectum videret, accipiebat et monachum faciebat; quoad ordinem quidem huic subiciebatur, sed quoad instituti fratrum normam cum persuasione iubebat hunc in ea sicut ceteros ambulare.

26. Fratres quosdam idoneos constituit, qui sibi ad salutem animarum auxilio essent. Alium, primae domus[1] parvum oeconomum[2] instituit, (f. 146) cum coadiutore[3] qui ei auxilio esset ad mensam praeparandam et fratribus coquitandum[4]. Alium, etiam cum adiutore, constituit qui, ambo in omnibus fideles, aegrotorum cibum pararent et curam gererent. — ⌜Si quis sive in rebus mensae sive in rebus aegrotantibus servatis se abstinere volebat, nemo erat qui prohiberet[5]. — Alios etiam,

[3] Corrige textum: ⲛ̄ⲧⲉϥ[ⲉⲣ]ϯⲡⲣⲟⲥⲫⲟⲣⲁ. — [4] Corrige textum: ⲉ[ⲛ]ⲁϥϣⲱⲡⲓ. — [5] Glossema vel retractatio, iterum desinente pagina; deest in S^5 et Av.

26. Av f. 18^r; S^5 p. 135; G^1 § 28^b; Am p. 372. — [1] In singulis monasteriis fratres, ad exemplar populi Israël, dispositi erant per tribus et domus. — [2] « Parvus oeconomus » ut distinguatur a magno oeconomo totius congregationis. — [3] Coptice: « secundus »; graece: δεύτερος; id est vicarius. — [4] Graece: ἑψῆσαι ἑψέματα. — [5] Haec sententia, quae parenthesis videtur, in G^1 et Am inducitur post verba « fratribus coquitandum ». Tamen S^5 et Av eumdem servant ordinem ac bohairicus textus.

sale sapidos[6], in ianua constituit, qui salutatores singulos pro dignitate exciperent[7], et qui eos, qui * vitae monachorum cupidi venirent, viam salutis docerent, donec indumento monachorum induerentur. Alios etiam, fideles et in servitio divino eximios, constituit, qui emerent et venderent. Tamen, tertia quaque hebdomade, fratres ministri mutabantur, et alius ordo instituebatur fratrum, qui *cum timore et tremore* operarentur[8] quod a domus-praeposito mandaretur. Alios etiam disposuit cum domus-praepositis et adiutoribus, qui in artibus storeisque operarentur, et *in omni mansuetudine parati essent*[9]. Instituit etiam tres catecheses hebdomadales, unam in die sabbati et duas in sancta die dominica[10], (p. 132) et etiam in duobus ieiuniis[11], a domus-praepositis faciendas[12] cum eloquentia.

27. Cum de eo audiret soror eius Maria, virgo ab infantia, surrexit et venit ad septentrionem in Tabennesi volens eum videre. De ea certior factus, fratrem ianuae custodem ad eam emisit: « Ecce audivisti me vivere, sed ne tristeris me non vidisse; si ad hanc vitam sanctam, ut coram Deo misericordiam consequamur, transire volueris, tunc rem tecum reputa; fratres locum tibi aedificabunt, et ibi secedes; et sane ad nos propter te vocabit Dominus alias quae per te valebunt; nulla enim spes est homini in hoc mundo, nisi bonum egerit priusquam e corpore egrediatur et adductus sit ad locum in quo * *secundum opera eius* iudicabitur »[1]. Illa autem, his a ianitore auditis, flevit et rei assensa est. Cum videret pater noster Pachomius cor illius inclinari ad rectam bonamque vitam, statim misit fratres; qui in eodem vico mansionem paululum a monasterio distantem aedificaverunt, ⌈in ea etiam fuit parvum oratorium[2]. (f. 147) Postea multae mulieres de illa audierunt et

[6] Cf. *Coloss.*, IV, 6. — [7] Desinit S⁵ frg 3. — [8] Cf. *Philipp.*, II, 12. — [9] Cf. *Tit.*, III, 2. — [10] Forsan, desinente pagina, librarius omisit: « a monasterii praefecto »; revera G¹ addit: ἵνα ὁ οἰκονόμος τῆς μονῆς ποίῃ. Cf. *Praecepta S. P. nostri Pachomii* § 20 (ed. A. Boon, *Pachomiana*, Louvain, 1932). — [11] Cf. *Praecepta* § 115, *Praecepta et Instituta* § 15 (ed. A. Boon). « Duo ieiunia », id est, feria quarta et feria sexta; inde hoc glossema in G³: ἤγουν τῇ τετράδι καὶ τῇ παρασκευῇ. De « angelis feriae quartae et feriae sextae », cf. G³ p. 365 et Am p. 641. — [12] Cf. Am p. 373 et 376.

27. Av f. 18ᵛ; G³ § 42-43; Am p. 380. — [1] Cf. *Rom.*, II, 6-7. — [2] Haec, desinente pagina, desunt in Av.

venerunt; cum illa habitaverunt et fortissime exercitatae sunt. Illa fuit eis mater et senior bona usque ad diem mortis suae. Cum autem videret pater noster Pachomius eas paulatim numero augeri, constituit eis seniorem nomine abbatem Petrum, qui earum praeditus *sermone sale condito*[3] pater esset, staret et verba saepissime eis faceret e Scripturis ad salutem animarum earum. Leges etiam fratrum scripsit in libro et per hunc misit ad illas, ut eas noscerent. Si frater aliquis, qui perfectionem nondum attigerat, unam ex illis sibi cognatam visitare cupiebat, ad seniorem sanctum abbatem Petrum per mandatum praefecti domus suae a Pachomio mittebatur; Petrus vero certiorem faciebat matrem, quae cum illa aliaque socia exibat; inter salutationem sedebant simul magna cum modestia; surgebant[4], orabant et recedebant. Item si una ex illis moriebatur, ad oratorium asportabatur, sindone prius a matre * cooperta; (p. [134]) deinde senior abbas Petrus patrem nostrum Pachomium certiorem faciebat; et pater noster Pachomius viros idoneos inter fratres eligebat quos secum ad mansionem educebat; ingrediebantur collectam, stabant in porticu et convenienter psallebant donec curaretur cadaver; hoc imponebant in plaustrum et ad montem deducebant, sororibus virginibus cum patre a tergo matreque a fronte plaustrum sequentibus, donec humaretur; pro defuncta orabant, et in mansionem suam magna cum tristitia revertebantur. Et postquam requievit pater earum sanctus abbas Petrus, alium nomine Tituie, virum ratione vitae aspectuque eximium, etiam eis constituit.

28. Factum est, cum abbas Athanasius archiepiscopus Alexandriae constitutus est, quod in Thebaidem ascenderet ea mente ut urbem Suam peteret et sanctas confirmaret ecclesias. Cum autem pater noster Pachomius vidisset multos episcopos prae eo incedere, assumpsit et ipse fratres et longum spatium praecessit eum; et processerunt psallendo donec adductus est in monasterium et oravit in collectis domibusque omnibus. (f. 148) Abbas Sarapion episcopus urbis Nikentori manum

[3] Cf. *Coloss.*, IV, 6. — [4] Quae sequuntur et totum § 28 omisit Av, forsan ex defectu archetypi sui.

28. Av [omis.]; S⁵ p. 136; G¹ § 30; Am p. 384.

[* p. 29.] * archiepiscopi apprehendit, osculatus est, et dixit: « Rogo pietatem tuam, ut Pachomium patrem monachorum instituas presbyterum, qui praesit omnibus monachis provinciae meae. Vir enim Dei est; tamen, mihi quidem hac in re non paret ». Statim Pachomius, ne inveniretur, in multa turba se abscondit. Sedit autem archiepiscopus[1] et magna turba cum eo; aperuit os suum, locutus est et dixit Sarapioni: « Revera, viri quem mihi indicasti, abbatis Pachomii, ex quo in Alexandria sum fidei famam audivi priusquam mihi manus imponerentur »[2]. Deinde surrexit, oravit et dixit filiis Pachomii: « Patrem vestrum salutate et dicite ei: quoniam a nobis te abscondisti et sublimiora in aeternum in Christo manentia eligens, id, quo discordiae contentio invidiaque oriuntur, fugisti. ⌜revera Dominus noster consilio tuo accedet[3]; et quum vanam temporariamque effugeris dignitatem, non tuis solum est in votis ne id tibi eveniat, sed et manum meam extendam ad Excelsum in aeternum, ne tibi eveniat ut imperio fungaris in saecula et in saecula saeculorum; (p. 136) tamen, si per voluntatem Dei ad te reversi fuerimus, utinam mereamur tuam videre honorabilem pietatem! » Et statim profectus est archiepiscopus ab eis et ad austrum transiit, comitantibus episcopis multis magnaque turba cum lampadibus cereis et thuribulis innumerabilibus. Profecto [* p. 30.] * autem archiepiscopo, pater noster Pachomius egressus est e loco in quo absconditus erat.

29. Factum est aliquando quod frater quidam monachus a septentrione redux adveniret; et ipsi, cum vesper in Tabennesi intervenisset, necesse fuit ut in monasterio hospitio exciperetur. Pater noster Pachomius iussit fratres fraterne cum eo agere. Ut panem edendi finem fecerunt, pater noster Pachomius sedit, locutus est verbum divinum fratribus et exposuit, fratre illo sedente et audiente cum omnibus fratribus, interpretationes Scripturarum. Et ubi frater ille in austrum ad suam in

[1] Incipit S⁶ fragm. 4. — [2] S⁶ addit: « Nunc igitur, beatus est ille beatique filii eius, et benedicta bona mansuraque planta quam plantavit ». — [3] Verba haec in textu ponuntur post « dignitatem ». Restituimus ordinem a sensu requisitum et quidem servatum arabice et sahidice.

29. Av f. 19ᵛ; S⁶ p. 136; G¹ § 34; Am p. 386.

provincia Sne mansionem pervenit, facto huius diei vespere, fratres ex more in unum convenerunt; nam in omni tempore, postquam panem suum comederant, in unum convenire solebant, et, quod quisque e sanctis Scripturis didicerat, recitabat. (f. 149) Vespere igitur huius diei, cum sederent[1], protulit quisque quod ipse didicerat vel ab aliis audierat. Aderat autem iuvenis nomine Theodorus, conspicuorum filius, qui sedebat et cum magna attentione vigilantiaque audiebat quid quisque diceret; nam ipse nullomodo loquebatur, sed omnino silebat. Frater autem, a septentrione redux, suo loco respondit his verbis: « Sinite, fratres, dicam dictum interpretationemque quam a * viro iusto audivi. [* p. 31.] Dum enim ad austrum redibam, transivi et hospitio exceptus sum in Tabennesi apud abbatem Pachomium. Hic sub vesperum sedit et, fratribus circum se congregatis, verbum divinum locutus est. Verba fecit de Tabernaculo et Sanctis Sanctorum[2], ea interpretans de utroque populo: primus enim populus est Tabernaculum exterius, in quo cultus sacrificiis panibusque manifestis perficitur. Sancta Sanctorum autem sunt vocatio gentium, id est iuxta Evangelium[3], plenitudo legis; et omnia in ipso Tabernaculo interiori plena sunt gloriae; pro sacrificiis enim animalium invenitur ibi thuribulum incensi; pro mensa, arca (p. 138) quae spiritales habet panes, id est, librum Legis et omnia quae ibi sunt; et pro lumine lucernarum, propitiatorium in quo *Deus ignis* ⌜*consumens*[4] apparere solet[5], videlicet, Deus Verbum homo factus, qui *propitiatio pro nobis fuit apparendo in carne*[6]; verbum enim propitiatorium significat remissionem peccatorum ». Ut finem dicendi hoc dictum interpretationemque eius fecit frater, subiecit: « Confido Deum mihi multa mea peccata remissurum esse, propter memoriam huius viri iusti cuius hic coram vobis nomen nunc protuli ». Et omnes fratres scientiam altam patris nostri Pachomii mirati sunt, quoad singuli domos suas laete petierunt. Iuvenis autem Theodori, in mansione

[1] Desinit S⁵ fragm. 4. — [2] Cf. *Hebr.*, IX, 2-5. — [3] Cf. MATTH., XXVIII, 19. — [4] *Hebr.*, XII, 29; *Deuter.*, IV, 24. Lege igitur in textu: ⲡⲓⲭⲣⲱⲙ ⲉⲑ <ⲟⲩⲱⲙ> ⲟⲩⲱⲙϩ cf. Av et G¹. — [5] Cf. *Levit.*, XVI, 12. — [6] Cf. I IOHANN., IV, 10, 2,

* p. 32. reducis, cor ardebat sicut ignis * propter modum quo sub vesperum de patre nostro Pachomio audierat; statim surrexit, ingressus est cellam fratris illius et interrogavit de abbate Pachomio. Ille omnia Pachomii opera narravit, quomodo omnes acciperet et aedificaret in omni re apud Dominum accepta. Cum ea de patre nostro ab illo fratre audiisset Theodorus, surrexit statim, cellam suam petiit, (f. 150) oravit Deum flens et dicens: « Domine Deus Sanctorum omnium, fiat voluntas tua et fac ut videam hunc virum perfectum, servum tuum abbatem Pachomium ». Et sic prosecutus est magnas ad Dominum preces.

30. Aliquanto post pater noster Pachomius ad austrum misit abbatem Pečoš, servitii fratrum causa. Cum vero ad austrum iret abbas Pečoš, per Dei providentiam advenit et hospitio exceptus est in monasterio in quo habitabat iuvenis Theodorus. Statim Theodorum certiorem fecit frater ille qui sermones Pachomii audierat: « Magnus hic vir, apud nos hospes, est e monasterio abbatis Pachomii ». Statim ab eo petivit Theodorus, ut cum eo assumeretur et ad videndum patrem nostrum educeretur. Senior autem abbas Pečoš de Theodoro fratres interrogavit et, certior factus eum esse conspicuorum parentum in urbe Sne filium, timuit et dixit ei: « Non possum mecum assumere te propter parentes tuos ». Theodorus autem suum consilium in corde servavit et, hora in qua ad septentrionem in naviculam conscenderunt, surrexit et pari itinere ambulavit ita ut longum ad septentrionem spatium procederet. Cum fratres[1] * p. 33. e navicula respexissent, viderunt * eum et dixerunt abbati Pečoš: « En hic iuvenis qui tibi dixit: volo ad septentrionem vobiscum ire; ecce a mane pari nobiscum itinere ambulat ». Statim ad ripam appellere iussit et navi iuvenem imponere. (p. 140) Et ubi ad septentrionem pervenerunt, abbas Pečoš de adventu Theodori patrem nostrum Pachomium certiorem fecit; quem statim iuvenis amplexatus est et manus et pedes eius; et ostium monasterii cum magno multoque ardore osculatus est, et, aversa facie, flevit dicendo: « Benedictus, Domine Deus

30 Av f. 20ʳ; S⁴ p. 218; G¹ §§ 35, 36; Am p. 391; *Ep. Amm.* § 9. — [1] Incipit S⁴ fragm. 4.

meus, *quoniam exaudisti vocem deprecationis meae* »[2]. Cum pater noster Pachomius videret eum flere, dixit ei: « Noli flere, fili mi, ego enim sum famulus patris tui », — patrem vero eius Deum dicebat —; deinde introduxit eum in monasterium. Postquam ingressus est Theodorus, vidit fratres recte ambulare, aemulatus est opera bona virtutesque eorum, et in corde suo certabat ut servaret haec duo: puritatem cordis et sermonem moderatum. In ipso inveniebantur gratia et strenua usque ad mortem obedientia.

31. Oportet ad gloriam Dei nos vitam eius ab infantia nunc enarrare. ⌜Theodorus conspicuorum filius erat et a matre valde dilectus. Octavo suo anno, scholae addictus est ut scribere edisceret; in magna sapientia proficiebat[1]. Duodecim annos natus magnae se dedidit abstinentiae: (f. 151) nullum capiebat cibum nisi quem monachi edere solebant; ieiunabat quotidie usque ad vesperam; aliquando per duos dies ieiunium producebat. Factum est[2] etiam aliquando quod * in festo Epiphaniae, * p. 34. scilicet die decima prima mensis tybi, e schola reversus, cum domum suam in magna laetitia videret, statim percitus esset motu: « Si illis escis vinisque perfruitus fueris, aeternam Dei vitam non videbis ». Tunc in locum domus seiunctum ingressus est, in faciem se proiecit, oravit et flevit dicendo: « Domine Iesu Christe, tu solus scis me nihil in hoc mundo appetere, sed solum te tuamque multam misericordiam amare ». Mater autem eius, cum sciret eum e schola exiisse nec videret, statim surrexit, quaesivit et invenit eum solum in loco orantem; consideravit eum, vidit oculos eius lacrimarum plenos et dixit: « Fili mi, quis te contristavit, ut magnam malamque in eum iram inducam? tamen, surge, abeamus et edamus, quia dies festus est hodie; a mane[3] te quaerimus ego, fratres tui et nostri omnes ». (p. 142) Respondit ei: « Abite vos et comedite; ego nunc non comedam ». Illis autem profectis, prosecutus est orationem usque ad horam matutinam, et non comedit neque bibit; et, mane facto, e domo sua et ex urbe egressus est, mansionem

[2] Cf. *Psalm.* XXVII, 2.

31. Av f. 21ᵛ; S⁴ p. 219; S¹⁴ p. 208; G¹ § 33; Am p. 386. — [1] Verba haec desunt in Av. — [2] Desinit S⁴ fragm. 4. — [3] Corrige: ⲓⲥϫⲉⲛϣⲱⲣⲡ.

in provincia Sne petivit et vitam anachoreticam egit apud monachos veteres et pios, quattuordecim annos natus; ibi habitavit et in magna ambulavit humilitate. Postquam sex annos exercitando ibi egit, per * providentiam Dei, — *non obliviscetur Dominus*[4] eorum qui *exquirunt eum ex toto corde et ex tota anima*[5] —, tunc, cum senior abbas Pečoš propter negotia fratrum ad austrum ivit, Theodorus viginti annos natus cum eo in septentrionem ad patrem nostrum Pachomium venit. Ut ad patrem nostrum Pachomium venit, ab eo cum gaudio acceptus est, comperto eius erga Deum amore.

* p. 35.

32. In monasterio autem acceptus se dedidit ascesibus, ieiuniis et vigiliis, ne ceteris fratribus deterior esset; et ita conabatur magnas sibi gratias acquirere ut praeter aetatem multis esset consolator et omnes collapsos dulci erigeret voce, (f. 152) prout scriptum est: *spiritus ubi vult spirat*[1]. Pater noster Pachomius, cum videret eum magis ac magis proficere, habuit in mente et dixit: « Mox Deus, qui suos semper noscit, multas ei committet animas ». Pater autem noster Theodorus in omni profectu bono proficiebat, fortissime exercitatus; et convalescebat in doctrinis quas a patre nostro Pachomio audiebat ad cuius imaginem in omnibus ambulabat. Fratres vero, cum viderent eum sicut Samuel quotidie proficere, et quia coram ipsis gratus omnibus esset, formam eius deinceps aemulati sunt. Et pater noster Pachomius singulis fratribus respondebat ut Theodorum adirent et solatium in tribulationibus tentationibusque ab eo acciperent. Illi * vero eum ita adibant ut fratrum consolator vocaretur. Theodorus cum pinguibus verbis omnes solabatur et cum multis saepissime orabat, donec quietem in tentationibus a Domino consequerentur.

* p. 36.

33. Factum est aliquando quod Theodorus patrem nostrum Pachomium cum multis lacrimis adiret; (p. 144) nondum sex[1] menses egerat ex quo ad fratres venerat. Dixit ei pater noster

[4] Cf. *Psalm.* LXXVI, 40. — [5] Cf. *Psalm.* CXVIII, 2, 10.

32. Av f. 22v; S10 p. 40; S11 p. 97; S14 p. 209; G1 § 36; Am p. 392. — [1] IOHANN., III, 8.

33. Av f. 23r; S10 p. 40b; Am p. 402. — [1] Ita etiam Am: ستة « sex »; Av ثلثة « tres ».

Pachomius: « Quid tu fles »? mirabatur ⸢enim[2] quia saepissime videbat eum quamquam iuvenem in motu lacrimarum. Respondit Theodorus: « Volo, pater, ut mihi confitearis, utrum Deum visurus sim; alioquin, quid mihi prodest in hoc mundo genitum esse »? Dixit ei pater noster Pachomius: « Visne Deum videre in hoc saeculo, an in futuro? » Respondit ei: « Volo videre eum in saeculo usque in aeternum manente ». Dixit ei pater noster Pachomius: « Cito tibi fac fructus in Evangelio scriptos: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[3]; quando etiam mala cogitatio in cor tuum ascendit, sive odii, sive contumeliae, zelotypiae, invidiae et contemptus erga fratrem tuum, sive vanae gloriae humanae, memento statim et dic: Si in ullo ex his delecter, Dominum non videbo ». Cum illa a patre nostro Pachomio audivisset Theodorus, tunc deinceps paratus est ad alacriter ambulandum in cordis humilitate ac puritate, * ut desiderium suum a Domino perficeretur videndi Deum in alio saeculo immutabili[4].

* p. 37.

34. (f. 153) Primo autem suo anno cum aliquando in cella sua sederet Theodorus funes torquens et e sanctis Scripturis quae memoriter tenebat meditans, — surgebat etiam et orabat quoties cor stimulabat, — sedenti et meditanti illuminata est cella in qua erat; et ipse turbatus est valde. Ecce, duo angeli sub specie fulgentium virorum apparuerunt ei. Timuit, aufugit, cellam reliquit et cucurrit ad tectum; nondum enim ullam viderat visionem. Cum ad tectum pervenisset, huc etiam venerunt angeli qui ab ipso timorem abstulerunt; et maior eorum dixit illi: « Extende manum tuam, o Theodore ». Et extendit manum eo modo quo faciunt mysteria sancta accepturi. Angelus posuit in manus eius claves multas; quas acceptas, in manu dextera tenuit Theodorus. Dum rem in se mirabatur, statim respexit, nec vidit angelos; manum suam aspexit, nec ullam vidit clavem. Hanc autem visionem patri nostro Pachomio non narravit, confusus quia saepe eum audierat dicentem: « Claves

[2] ⲅⲁⲣ omissus cum ultimis litteris vocis -ϣⲫ < ⲏⲣⲓ < ⲅⲁⲣ >. — — [3] MATTH., V, 8. — [4] Codex: ⲚⲀⲦϢⲒⲠⲒ « impudente »; perperam e sahidico: ⲚⲀⲦϢⲒⲂⲈ.

34. Av f. 23v; Am p. 404.

mihi occulte datae fuerunt »; (p. 146) et dicebat: « Quis ego sum, qui me viro Dei parem faciam, ego vir peccator? me potius oportet * omnibus diebus vitae meae humiliter ambulare; scimus enim talem esse Dei voluntatem ». [* p. 39.]

35. Adiit etiam patrem nostrum Pachomium in diebus Quadragesimae et interrogavit eum: « Quoniam sex dies Paschae sunt in quibus remissio salusque nostra facta est, nonne igitur oportet nos ieiunare quattuor dies praeter alios duos? » Respondit ei: « Regula Ecclesiae est ut duos tantum coniungamus, ut sine damno possimus perficere quae nobis praecepta sunt, scilicet, *oratio sine intermissione*[1], *vigiliae*[2], *meditationes legis Dei*[3] et opus nostrum manuale a Scripturis nobis praeceptum ut possimus *manus ad pauperes extendere*[4]. Qui vero illius modi opera faciunt et qui soli secedunt, cura humana quae sibi incommodo sit non gravantur; tunc forsan etiam invenias ipsos aliorum virorum obsequio[5] officioque utentes, vel[6] esse superbos pusillanimesve aut vanae gloriae sectatores, qui inanem hominum gloriam colant ».

36. (f. 154) Adiit etiam eum alias et interrogavit: « Quid mihi agendum cum illo capitis mei dolore »? Respondit ei pater noster Pachomius: « Virum fidelem oportet decem annos morbum in corpore sustinere, nec ulli patefacere[1], excepto morbo manifesto qui celari non potest ». Quae cum audivisset a patre nostro Pachomio, paratus est * ad omnia in morte crucis gratoque animo sustinenda. [* p. 38.]

37. Aliquanto post accepit mater eius ab episcopo urbis Sne epistulam ad patrem nostrum Pachomium, ut sibi mitteretur filius suus Theodorus et videret eum; audierat profecto neminem e fratribus cum cognatis commercium habere. Ipsa, ut ad septentrionem cum alio suo filio Paphnutio pervenit, epistu-

35. Av f. 24r; Am p. 394; *Epist. Amm.* § 21. — [1] Cf, I *Thess.*, v, 15. — [2] Cf. Matth., xxvi, 41. — [3] Cf. *Psalm.* cxviii, 77, 92, etc. — [4] *Prov.*, xxxi, 20. — [5] ⲉⲩⲕⲟⲣϥ corrigimus cum E. W. Crum (*op. l.*, p. 118) in ⲉⲩⲕⲱⲣϣ; tamen Av legit etiam ⲉⲩⲕⲟⲣϥ « otiosi ». — [6] Lege: [ⲓ]ⲉ ⲛⲥⲉϣⲱⲡⲓ.

36. Av f. 24v; G1 § 90; Am p. 450. — [1] Exhortationem ampliorem habet G1; amplissimam vero Am, quam videsis.

37. Av f. 24v; S10 p. 38; G1 § 37; Am p. 405.

lam per ianitorem immisit ad patrem nostrum Pachomium; qui, lecta epistula, vocavit Theodorum et locutus est cum eo: « Sane abibis ut occurras matri fratrique tuo ad cor eorum solandum, praesertim quia hac de re scripsit nobis pater noster episcopus! » Respondit ei Theodorus: « Si abiero et ei occurrero, num aliquo modo coram Domino in defectu inveniar[1], quod mandatum eius in Evangelio scriptum transgressus sim? si nullo modo, tunc abibo; si vero culpae obnoxius fuero, non ei indulgebo, ita ut eam non solum non videam, (p. 148) sed etiam, si necesse sit, occidam, sicut olim egerunt, iubente per Moysem Domino[2], filii Leui; dumtaxat, non peccabo in eum qui me creavit, propter amorem patrum carnalium ». Respondit pater noster Pachomius et dixit ei: « Ecce igitur, tu vis mandata Evangelii servare, et ego illa transgredi te iuberem! absit ut ad hoc agendum te excitem; sed, solum certior factus illam foris flentem stare, ⌈ad illam visitandam te misi[3], ne forte audiens contristareris; mea enim voluntas tota est ut * conforteris in omnibus vitae mandatis; et episcopus etiam, qui ad nos scripsit, hac de re non contristabitur, si audierit te illi non occurrisse, sed potius de tuo gaudebit proposito; ipsi enim sunt patres nostri docentes nos iuxta Scripturas ». Postea mandavit pater noster Pachomius ut de illis pro dignitate in loco separato cura bene haberetur. Postquam autem tres dies ibi egerunt, nuntiatum est matri: « Ad te non exibit »; et ipsa coepit flere cum magnis multisque lacrimis. Cum autem clerici (f. 155) ecclesiae eam tanto dolore afflictam viderent, interrogaverunt fratres: « Cur sic flet haec anus »? Et edocti sunt illam flere propter filium eius Theodorum qui ad illam non exiret, nec ipsum videret et consolaretur; et monuerunt illam: « Mane cum fratribus exibit et abibit ad operandum in quodam loco ». Ipsi autem illam adduxerunt super tectum domus; illa coepit expectare donec cum fratribus exivit Theodorus, et vidit eum. [* p. 40.]

38. Frater autem Theodori coepit eum persequi flendo et dicendo: « Volo quoque apud te habitare et monachum fieri ».

[1] Corrige textum: ⲧⲁ[ⲩ]ϫⲉⲩⲧ. — [2] Cf. *Exod.*, xxxii, 28. — [3] Probabilius linea sahidica omissa, puta: ⲁⲓϫⲟⲟⲩⲕ ϣⲁⲣⲟⲥ.

38. Av f. 25v; S5 p. 137; G1 §§ 65, 37b; Am p. 400.

Erat enim minor eius natu. Ad loquendum cum fratre, quamquam flere fatigato, non stetit Theodorus, nec ut fratrem tractavit. Cum autem pater noster Pachomius edoctus est quomodo dure cum illo locutus esset, vocavit eum seorsum solum et dixit ei: « O Theodore, iamne ignoras modum * illis in principio indulgendi sicut arbori recenter plantatae?[1] haec potius curatur et irrigatur donec firmentur radices eius; idem est modus cum illis ». Et ita iussit illum accipere et facere monachum. Ille etiam exercitatus est sicut omnes fratres.

Mater autem illorum ad austrum[2] abiit cum dolore magno et lacrimis valde amaris propter filios suos. (p. 150) Non solum igitur ipsi non occurrit Theodorus, sed filius eius minor natu[3] Paphnutius abiit et monachus apud fratrem suum factus est.

39. Factum est aliquando quod, cum in eo essent ut frumento ad usum cibi carerent, moerentibus autem usque ad mortem propter paupertatem fratribus, pater noster Pachomius loqueretur cum eis hortans et dicens: « Confido Dominum nostrum ⌈Iesum Christum[1] nos non derelicturum esse; nihilominus ecce hic sunt duo stragula bona, quae quidam ad fratres veniens attulit; mittamus ea et quanti sint vendamus, donec nobis necessaria praebeat Dominus ». Et dum haec secum reputabat, totam noctem egit vigilando et Deum hac de re orando. Per Dei providentiam et multam caritatem ostium monasterii mane huius diei pulsavit senator; cui aperuit ianuae custos. Senator dixit ei: « Dic patri nostro paululum esse frumenti quod damnatis ad metalla voveram propter salutem * animae meae et meorum omnium simul; nunc vero divinitus in somnio admonitus sum vos illo indigere. Nunc igitur mittite et e nave illud auferte ut mei memores sitis ». (f. 156) Ianitor autem nuntium attulit ad patrem nostrum, qui valde miratus surrexit, exivit[2] et locutus est cum viro: « Frumento quidem indigemus, sed praestitutam diem nobis constitue, donec pretium nobis suppeditet Deus et reddamus tibi ». Et respondit

[1] Fuit sahidice: ⲙⲏ ⲉⲕⲥⲟⲟⲩⲛ ⲁⲛϭⲉ ⲑⲉ ⲛⲧⲟⲩⲓⲛⲉⲓ etc. — [2] Incipit S^5 fragm. 5. — [3] Av addit: « quo utebatur solatio ».

39. Av f. 26^r; S^5 p. 137; S^4 p. 220; G^1 § 39; Am p. 553. — [1] Omittunt S^5 et Av. — [2] Incipit S^4 fragm. 5.

ei vir: « Illud tibi non attuli ut emas, sed propter salutem animae meae, et etiam quia vos viri Dei estis ». Tunc frumentum exantlavit pater noster simul cum fratribus. Postea attulit viro parvas eulogias, id est, paucas lapsanas et olera et panes. Ille autem accepit eas cum magna in Deum fide; et, benedictione a patre nostro accepta, exivit ab eo cum gaudio et laetitia. Tunc pater noster Pachomius sedit et locutus est cum fratribus in verbo Dei de dono celeriter ab eo accepto. Et mirabantur modum quo Deus sibi celeriter miserat frumentum quo indigebant, propter servum eius sanctum abbatem Pachomium.

40. Fuit autem post martyres confessor nomine abbas Dionysius, presbyter urbis Nitentori, vir religiosus et amicus secundum Deum patris nostri Pachomii. (p. 152) Cum audiret hunc non sinere extraneos monachos foras ad visitandos fratres peregrinantes monasterium eius intrare * sicut heri et nudiustertius, sed illos seorsum in loco ianuae monasterii relinquere, contristatus est valde, surrexit et eum adiit in Tabennesi, hac de causa reprehensurus. Et ut secum locutus est, respondit vir Dei: « Ne putes, ô abba Dionysi, meum animum esse animam hominis simpliciter affligere, vel etiam affligere Dominum qui ore eius sancto dixit: *quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis in me credentibus, mihi fecistis*[1]; sed tu quoque scis multos esse gradus in communitate, sive seniores, sive iuvenes, sive neophytos; propterea dixi: expedit ut eos, qui ad nos veniant, in collecta tempore orationis accipiamus, deinde in locum separatum adducamus et panem comedant. Et etiam dixi: ne incipiant monasterium percurrere, videant quosdam ex neophytis et scandalizentur. Hac de causa ita egi; seorsum enim extra tabernaculum sub arbore ministraverunt patriarcha Abraham (f. 157) Domino sociique eius[2] ». Et his auditis, abbas Dionysius persuasum habuit rem esse qualem dixerat.

41. Erat autem mulier, senatoris urbis Nitentori uxor, quae diuturnum patiebatur fluxum sanguinis. Quae, cum audiisset

40. Av f. 26^v; S^5 p. 138; S^4 p. 220; G^1 § 40; Am p. 557. — [1] MATTH., XXV, 40 + XVII, 16. — [2] Cf. *Genes.*, XVIII, 8.

41. Av f. 27^v; S^5 p. 139; S^4 p. 221; G^1 § 41; Am p. 558.

abbatem Dionysium aditurum esse virum Dei abbatem Pachomium, surrexit, illum adiit et rogavit: « Scio te amicum esse viri Dei abbatis Pachomii; volo ergo ut * me ad illum adducas, et illum videam; confido enim, si illum solum viderim, Dominum mihi sanationem daturum ». Dionysius autem postulatis annuit, quia sciebat eam cruciatibus confectam. Tunc imposuerunt eam in navem et in septentrionem venerunt ad patrem nostrum abbatem Pachomium. Abbas autem Dionysius hunc adiit et, absoluto de fratribus ab eo segregatis colloquio, rogavit: « Volo ut surgas et abeamus ad locum ianuae propter rem nostri necessariam ». Pachomius autem surrexit et secutus est eum usque extra ianuam monasterii; sederunt et collocuti sunt. (p. 154) Mulier pro magna sua fide a tergo venit, vestem eius tantum arripuit et statim sanata est. Vir autem Dei abbas Pachomius hac de re contristatus est usque ad mortem, quia humanam gloriam semper fugiebat.

*p. 44.

42. Erat autem parvum monasterium ad austrum Tabennesi circiter duo milliaria distans; solebat pater huius monasterii patrem nostrum Pachomium saepissime adire; erat enim amicus eius dilectissimus; et verba Dei, quae ab eo audiebat, suis referebat monachis, ut et ipsi mandata Dei timerent. Factum est autem, cum frater quidam in monasterio ab eo munus peteret, quod huic respondisset: « Pater noster Pachomius prohibuit quominus hoc facerem, quia re nondum dignus es ». Hic autem iratus est et traxit patrem: « Veni, adeamus illum ut mihi rem confirmet ». Pater autem secutus est * eum stupefactus et tristis: « Quid sibi eveniret! » Ut autem ad Pachomium in Tabennesi venerunt, tres numero fratres, invenerunt eum exstruentem locum sepimenti monasterii. (f. 158) Ille igitur, ut accessit ad patrem nostrum Pachomium, dixit cum magna ira: « Descende, et culpam meam confirma, ô Pachomi, mendax! » Vir autem Dei Pachomius pro sua patientia verbum omnino non respondit. Prosecutus est autem etiam ille et dixit patri nostro Pachomio: « Quis te ad mentiendum coegit? et praeterea gloriaris te videndi sensum habere, dum lumen tuum

*p. 45.

42. Av f. 27v; S5 p. 139; S4 p. 222; S2 p. 24; G1 § 42; Am p. 555. —

est obturatum! »[1] Vir autem Dei abbas Pachomius novit insidias diaboli in illo habitantis, et dixit illi graviter: « Peccavi, dimitte mihi; tunc nunquam peccas! » Et confestim consedit ira illius mala. Tunc pater noster Pachomius seorsum abduxit patrem huius monasterii solum et interrogavit quid huic fratri evenisset. Respondit autem ei: « Dimitte mihi, pater; ille enim a me petebat munus quo non erat dignus; et, cum scirem illum mihi non obsecuturum, nomen tuum protuli ut forsan sedaretur; scio enim nullam rem te latere; et ecce iniquitatem peccato suo superposuit ». (p. 156) Et dixit ei pater noster Pachomius: « Mihi obsequere, da illi munus, ut eo modo animam eius eripiamus e manu inimici; etenim si homini * malo benefeceris, ad sensum boni veniet; hic est enim amor Dei ut *invicem supportemus* »[2]. Ut autem illi audierunt verba doctrinae patris nostri sancti abbatis Pachomii, magno multoque solatio consolati et glorificantes Deum abierunt; et cum ad monasterium pervenerunt, pater huius monasterii fratri, eo modo quo ab ipso petierat, munus dedit secundum mandatum patris nostri abbatis Pachomii. Post paucos dies frater ille ad meliorem frugem se recepit; et, reversus ad patrem nostrum sanctum abbatem Pachomium, manus pedesque eius osculatus est et dixit: « Vere, o vir Dei, multo maior es quam de te quotidie audimus! revera Dominus scit, nisi mecum in die quo tibi ego peccator convitiatus sum patienter egisses, et si mihi dure locutus fuisses, vitam monasticam deseruissem et denuo saecularis factus essem; (f. 159) benedictus sis, o vir Dei, quia per patientiam benignitatis tuae, domine pater, vivificavit me Dominus ».

*p. 46.

43. Factum est autem etiam aliquando quod vir filiam suam magno daemonis morbo affectam ad patrem nostrum sanctum abbatem Pachomium adduceret ut ab eo sanaretur. A viro per fratrem ianitorem certior factus responsum emisit: « Immitte mihi stolam eius qua non induta est ex quo lavata est »[1]. * Et splendidam intulit ei. Et, ut eam consideravit, remisit ad pa-

*p. 47.

[1] Cf. Matth., vi, 23. — [2] Cf. *Ephes.*, iv, 2.

43. Av f. 29r; S5 p. 141; S4 p. 224; G1 § 43; Am p. 558. — [1] Ita etiam S5 et S4; Av vero: « ex quo puella deliquit ».

trem his verbis: « Stola quidem eius est, sed monasticam puritatem non servavit; nunc igitur confiteatur se deinceps servaturam et confidimus Dominum eam sanaturum ». Ut autem audivit ea verba pater eius valde turbatus est; postea coepit interrogare illam. Ipsa autem enarravit quod egerat et promisit cavere deinceps ne amplius in tota sua vita peccaret. Et ita supra oleum oravit Pachomius et ad eam illud misit; quo se cum fide unxit et statim sanata est in nomine Domini.

44. (p. 158) Alius autem etiam filium suum a duro daemone obsessum adduxit ad patrem nostrum Pachomium et rogavit ut supra illum oraret et sanaret illum. Cum autem pater noster Pachomius monasterium ingressus est, misit fratrem ianitorem: « Vade, panem fratrum accipe, affer et da illi cuius filius aegrotat; et dices: Da filio tuo ex hoc pane et confide Dominum sanaturum illum ». Et ubi panem accepit pater aegroti, ter osculatus est; postea, hora qua esurivit filius, accepit paululum panis fratrum, miscuit cum aliis panibus et posuit ante filium suum. Hic autem sedit ad edendum et comedit alios panes; panem vero fratrum non tetigit. Postea pater eius dactylos caseosque aperuit et particulas panis in eis iniecit. Ille * autem etiam aperuit[1] eos, panes iniectos abiecit et dactylos caseosque solos comedit. Et ita pater reliquit eum biduum sine cibo et sine potu, donec debilis factus est ille (f. 160); postea parvum pulmentum cum pane confectum illi coxit. Et, ubi sibi illud propositum est, aeger sedit et comedit sicut is cuius animus est dispositus. Deinde pater immisit paululum olei ad patrem nostrum Pachomium, qui supra illud oravit. Et, ut aeger recubuit, a patre in nomine Dñi Iesu oleo unctus statim sanatus est. Et ita abiit in domum suam in pace ⸢gratias agens Deo et precibus patris nostri sancti abbatis Pachomii viri Dei[2].

45. Revera multas sanationes operatus est Dominus per manus eius. Et etiamsi accideret ut propter sanationem alicuius oraret nec Dominus postulatum concederet, non contristaba-

44. Av f. 29r; S5 p. 141; S4 p. 224; G1 § 44; Am p. 559. — [1] ⲁϥⲟⲩⲱⲙ « comedit »; ita etiam S4; S5 vero: ⲁϥⲟⲩⲱⲛ; G1: ἄνοιξεν; Dionys.: « adaperiens ». — [2] Omittunt S5 S4 et Av.

45. Av f. 30r; S5 p. 142; S4 p. 225 S2 p. 28-29; G1 § 45; Am p. 565. —

tur exauditum non fuisse; sed potius semper orabat: « *Voluntas tua, Domine, fiat* »[1].

46. Cum autem aliquando sederet, locutus est cum fratribus his verbis: « Ne putetis sanationes corporales esse sanationes; sed verae sanationes sunt sanationes animae spiritales. Homo enim hodie caecus corde per idololatriam, si postea in viam Domini dirigatur, (p. 160) donec visum habeat et cognoscat eum a quo creatus est, nonne haec est sanatio atque salus animae simul et corporis in aeternum coram Domino? Alius autem etiam per mendacium mutus qui non loquitur veritatem, si divinitus admonitus in aequitate ambulat, * nonne haec alia est etiam sanatio? Alius autem etiam manibus mancus per pigritiam in mandatis divinis, si divinitus admonitus bonum operatur, nonne haec alia est etiam sanatio? Alius autem etiam impudicus atque superbus, si viam edoctus ad meliorem frugem se recipit, nonne haec alia est magna sanatio? »

47. Factum est autem etiam aliquando, quod pater noster Pachomius cum fratribus iuncos metentibus in quodam loco[1] adesset, et Theodorus etiam necessaria fratribus ministraret. Sero autem pater noster Pachomius sub vesperum cuiusdam diei regressus est et in storea febricitans recubuit. Theodorus stragulum e villis bonum attulit et cooperuit eum. Et dixit ei pater noster Pachomius: « Aufer a me hoc stragulum, et cooperi me storea ad modum omnium fratrum, donec sanationem mihi tribuat Dominus ». (f. 161) Theodorus autem fecit sicut sibi dixit; postea manum suam dactylis implevit et porrexit ei his verbis: « Forsan paululum comedere possis, quia adhuc nondum comedisti, pater! » Hic autem non accepit, sed respondit cum magna tristitia: « Quoniam labor necessariaque fratrum in manibus nostris sunt ad ea administranda, nos ipsi nostro commodo eis uteremur! ubi nunc est timor Dei! num teguria fratrum adhuc inspexisti, utrum quis in eis aegrotet? Ne reputes minima quae mihi porrexisti; *quoniam Deus iudex*

[1] Cf. Matth., vi, 10.

46. Av f. 30r; S5 p. 142; S4 p. 226; G1 § 47; Am p. 565.

47. Av f. 30r; S5 p. 142; S4 p. 226; S10 p. 46; G1 § 51; Am p. 552. — [1] Lege: « in quadam insula », cum Av, S5, S4 et G1; cf. supra § 22, n. 1.

est[1] ad omnia inquirenda ». Et coepit aeger ita decumbe- re ut * biduum ageret nec comederet; surgebat autem minimis intervallis et orabat pro suo cordis ardore et suo in Deum amore. Tertia autem die a morbo allevatus est, surrexit, abiit et comedit quoque cum omnibus fratribus. * p. 50.

48. Aegrotavit autem etiam alias ita ut contristaretur usque ad mortem prae nimiis ascesibus; et adductus est in locum in quo fratres aegrotantes decumbebant, ut ibi pauca olera comedere cogeretur. (p. 162) Decumbebat autem etiam ibi alius frater ita aegrotans ut corpus prae diuturno morbo ossea compages omnino factum esset; et rogabat fratres ministros paululum carnis ad comedendum. Ipsi vero nolebant ei dare et dicebant: « Non est nostrae consuetudinis res huiusmodi ». Cum autem videret eos sibi non dare, dixit ministris: « Prehendite me et ferte ad patrem nostrum ». Et, illum sibi adductum ubi vidit Pachomius miratus est quomodo caro eius defecisset; et, dum eum anceps intuebatur, pauca olera sibi edenda allata sunt. Ipse autem suspiravit et dixit: « O acceptores personarum, ubi est timor Dei! *diliges proximum tuum sicut teipsum!*[1] Nonne videtis quomodo hic frater factus sit cadaver? quare non dedisti illi quod petit? Dominus scit, nisi illi dederitis id de quo locutus est, me non comesurum nec bibiturum; non enim datur discrimen inter aegrotantes; *nonne omnia munda mundis?* »[2] Et dum haec dicebat, lacrimas effundebant oculi eius. Respondit etiam et dixit eis: * « Vivit Dominus, si in (f. 162) monasterio fuissem ⌜in die in quo postulavit quod cupiebat[3], illum tali morbo affectum in hac magna afflictione non sivissem ». Fratres autem, ut ea a patre nostro Pachomio audierunt, confestim festine miserunt, emerunt hoedulum quem bene praeparaverunt et obtulerunt fratri; et hic comedit. Postea pauca olera cocta patri nostro Pachomio attulerunt; ipse quoque grato animo comedit sicut quivis frater monasterii. * p. 51.

[2] Cf. *Psalm.* XLIX, 6; LXXIV, 8.

48. Av f. 31r; S5 p. 143; S4 p. 227; G1 § 53; Am p. 566. — [1] MATTH., XIX, 19; XXII, 39. — [2] *Tit.*, I, 15. — [3] Av, S5 et S4 omittunt et reliquam septentiam paululum disparem habent. Notandum denuo sub initium novae paginae locum retractatum fuisse.

49. Factum est autem etiam, cum in monasterio Tabennesi multiplicarentur fratres, et videret eos compressos, quod hac de causa Deum precaretur; et in somnio edoctus est: « Surge, pete hunc vicum desertum ad septentrionem tui situm et Phbou vocatum, monasterium ibi tibi exstrue; ipsum enim fiet tibi fundamentum et nomen gloriosum in saecula saculorum »[1]. Confestim surrexit, alios fratres secum assumpsit et descendit in illum vicum; aliquot dies ibi egit cum fratribus, donec sepimentum monasterii exstruxit. Exedram posterius licentia episcopi Diospoleos exstruxit; mansiones etiam exstruxit, (p. 164) et constituit domus-praepositos cum secundis, secundum constitutionem prioris monasterii. Ipse quidem noctu diuque, ut servus boni pastoris, utrumque monasterium visitabat.

50. Et postea etiam, cum famam patris nostri Pachomii audiret senior vetus * nomine abbas Ebonh — erat pater congregationis nomine Šeneset — misit ad patrem nostrum Pachomium et rogavit eum: « Volo ut monasterium meum fiat sub potestate communitatis quam tibi donavit Dominus, et ut nobis etiam regulas tibi caelitus traditas constituas ». Hic autem surrexit, cum aliis fratribus sociis hunc locum petiit, et constituit domus et domus-praepositos cum secundis, secundum constitutiones aliorum monasteriorum. Ipse eos sedulo curabat, saepissime visitabat et legibus Dei laboribusque sanctorum recreabat. * p. 52.

51. Aliquanto post misit ad patrem nostrum Pachomium vir magnus vetus et fortis nomine abbas Ionas, qui pater erat congregationis nomine Thmušons. Ille autem surrexit, tres assumpsit fratres, eum adiit......

[*paginae* 165-168 *perierunt*] [1]

49. Av f. 31v; S5 p. 144; S4 p. 228; G1 § 54; Am p. 567. — [1] Haec prophetia deest in G1; legitur tamen, alia occasione, in *Paralip.* (p. 142, 25-26), G3 (p. 311, 7-8); cf. etiam A. VAN LANTSCHOOT, *Allocution de Timothée d'Alexandrie* (ephem. *Le Muséon*, XLVII, 1934) p. 54 cum nota 39.

50. Av f. 31v; S5 p. 144; S4 p. 228; Am p. 567.

51. Av f. 32r; S5 p. 145; S4 p. 229; Am p. 568. — [1] Desinit S4 fragm. 5 in lacuna.

[52: Av f. 32v; S5 p. 145; Am p. 568]. — [53: Av f. 32v; S5 p. 145; Am p. 569]. — [54: Av f. 33r; S5 p. 146 (desinit); G1 § 81; Am p. 569].

55. ... (f. 163) respondit autem eorum maior[1]: « Vos valde praedicant magnos esse monachos et etiam verba sapientia proferre; nunc igitur, audistisne unquam olivas in urbem Šmin afferri? tamen venumdantur! »[2] Respondit abbas Cornelius et dixit ei: « Audistine quoque olivas in urbe Šmin unquam premi et emittere oleum? sed sale condiuntur ne putrescant. Nunc igitur nos sal sumus[3] et huc venimus ut vos condiremus; * vos enim stultiores estis quam plurimi in toto mundo. Revera gloriamini vos esse doctores, et ecce vana sunt verba vestra; nam verba huiusmodi sunt pessima ». Illi autem, his auditis, abierunt magna cum confusione, quia non potuerunt cum vana scientia praestare eis qui habent veram inhabitantis Dei scientiam. Ut autem philosophus sodales suos adiit, enarravit quomodo confusus fuit. Respondit illorum omnium maior quasi redarguens eum his verbis: « Haec igitur sola quaestio tua? nunc ergo, ego ibo et cum istis de Scripturis disputabo ». (p. 170) Confestim cum quibusdam sociis in magna superbia surrexit; venerunt ad locum monasterii et miserunt ad patrem nostrum Pachomium. Hic autem Theodorum vocavit et emisit ad eos cum duobus fratribus, ut responderet caecitati eorum. Ubi egressi sunt, dixit philosophus: « Velim patrem vestrum, ut cum eo de Scripturis loquar ». Respondit Theodorus et cum humilitate dixit ei: « Nihil est tibi cum servo Christi; nunc ergo dic verba tua carnalia, et spiritalis tibi respondebit ». Tunc dixit ei philosophus: « Gloriamini vos intelligere doctrinam Scripturarum simul ac interpretationem; nunc ergo edoce me: quis non genitus et mortuus, et quis genitus et non mortuus, et quis mortuus et non putrefactus est? » Respondit Theodorus et dixit ei: « O homines, quorum mens ut dolium pertusa est, et sicut nebula dissolvitur * et perit! Qui non genitus et mortuus, est Adam; et qui genitus et non mortuus, est Enoch; (f. 164) qui autem mortuus et non putrefactus, est uxor Lot quae columna salis facta est; ut sapidi fiant omnes amentes sicut vos qui gloriamini in vanitate ». Quae autem ut audivisset philosophus in

55. Av f. 33v; G[1] § 82; Am p. 571. — [1] Videsis similem disputationem cum philosophis in *Vita S. Antonii* §§ 74-80. — [2] Interpretatio dubia; forsan: ... « afferri et venumdari ». — [3] Cf. MATTH., v, 13.

se valde turbatus est de verbis sapidis iusti abbatis Theodori; et dixit abbati Theodoro: « Dic patri vestro: O qui aedificasti domum supra petram immobilem et in aeternum in caelo indissolubilem, benedictus sis tu et spiritales ex te generationes, quia vobis donata est mens fulgens et pertingens ad universi demiurgum; nulla ex muliere generatio pugnet adversus opus vestrum hoc, quod praevalebit et firmabitur et extendetur ad terminos totius terrae ». His autem dictis, philosophus collum suum abbati Theodoro inclinavit et in domum suam cum sociis abiit, ⌈miratus divinam gratiam per Theodorum locutam[4]. (p. 172) Pater autem noster Pachomius, his a Theodoro auditis, miratus est et exclamavit his verbis: « *Benedictus Dominus Deus meus, qui confudisti*[5] Goliath et *omnes qui oderunt Sion* »[6]. Et postea spiritu convaluit et operatus est cum fratribus donec monasterium omnino secundum constitutionem aliorum perficeret; constituit in eo patrem nomine Samuel, virum spiritu alacrem; deinde * fratres Domino commisit et abiit. Saepe eos etiam adibat et visitabat, prout pastor erat magno bonoque pastori Christo subditus.

56. Erat autem etiam quidam princeps nomine Petronius in provincia Hu[1], in quo iam ex paterna domo spiritus Dei habitabat; parentes eius proceres erant et divitias magnas possidebant. Hic autem ab hominibus secedere cupiebat, ideoque in quemdam locum paterni fundi se recepit; et ibi monasterium exstruxit (f. 165) quod vocatur Thbeu, convocatis ad se omnibus qui vivere vellent in Christo. Et cum audivisset de odore sanctae communitatis, ad patrem nostrum Pachomium misit: « Utinam dignus sim ut pietas tua veniat ad me, et nos ipsi habitemus sub umbra sanctae communitatis tibi a Domino nostro Iesu datae »! Pater autem noster Pachomius surrexit et abiit cum fratribus; et monasterium instituit cum domuspraefectis secundisque, omnino secundum constitutionem aliorum monasteriorum. Ipsi autem abbati Petronio erat pater nomine Pšenthbo et frater nomine Pšenapahi, viri religiosi; Petro-

[4] Haec omisit Av. — [5] Cf. *Psalm.* CXLII, 1. — [6] Cf. *Psalm.* CXXVIII, 5.
56. Av f. 35r; G[1] § 80; Am p. 573. — [1] Id est, Diospolis parva, cf. supra § 3, n. 2.

nius eis verbum Dei coepit facere, et eos totamque domum fecit monachos, qui * in melius proficerent. Deinde etiam omnia quae ipsius erant, sive oves, sive capras, sive boves, sive camelos, sive asinos, sive plaustra, sive omnes opes, ⌈sive naves[2], communitati patris nostri Pachomii omnia donavit.

57. (p. 174) Et postea, motus a providentia sanctoque Spiritu, fratres iterum assumpsit et descendit in vicinitatem urbis Šmin ibique aliud aedificavit monasterium, — vocatur enim Tsmine, — illudque belle perfecit[1] ad modum aliorum monasterorium omnium; sumpsit etiam pium abbatem Petronium in Thbeu principem, et in illo loco patrem instituit, prout a Deo edoctus fuerat. Commisit autem etiam ei curam duorum in propinquo monasteriorum, ut verbo fratres regeret; sermo enim eius erat valde sapidus. Postea alium etiam bonum patrem in Thbeu nomine Apollonium constituit, qui fratres pasceret sicut sanctus abbas Petronius.

58. Aliquanto post in somnio iussus est aliud monasterium in austro etiam constituere; surrexit, assumpsit fratres et ascendit ad montem urbis Sne, in locum qui vocatur Phnum. Cum autem sepimentum monasterii exstruere incepisset, magnam turbam congregavit episcopus huius provinciae; (f. 166) egressi sunt et aggressi sunt eum ut expellerent ex hoc loco. Vir autem Dei pater noster Pachomius pericula sustinuit donec a Domino dispersi aufugerunt[1] * ante se. Postea monasterium permagnum exstruxit et perfecit belle in omnibus iuxta constitutionem aliorum octo monasteriorum iam exstructorum. Et patrem bonum adduxit nomine abbatem Surum; quem fratribus constituit capacem eos confirmandi in mandatis Domini nostri Iesu. Ipse autem pater noster Pachomius singula saepissime adibat monasteria, et in verbo Dei omnia fovebat, *tamquam nutrix fovens filios suos*[2] in amore cordis sui.

59. Factum est autem etiam aliquando, — in tempore quo

[* p. 56.] [* p. 57.]

[2] Av recte ponit haec verba post « plaustra ».

57. Av f. 35^v; S^4 p. 229; G^1 § 83^a; Am p. 574. — [1] Incipit S^4 fragm. 6.

58. Av f. 35^v; S^4 p. 230; G^1 § 83^a; Am p. 574. — [1] Av et S^4 addunt: « quamquam a nemine prosecuti ». — [2] Cf. I *Thess.*, II, 7.

59. Av f. 36^r; S^4 p. 230; G^1 §§ 55, 60, 61; Am p. 575.

parvos panes fabricabantur, — quod duos fratres assumeret et naviculam conscenderet ea mente ut tenderet[1] ad Thmušons fratrum visitandorum causa; vespere autem facto, fratres paraverunt ad edendum parvum viaticum; et, ut sederunt, ex omnibus sibi appositis comederunt, sive caseo, sive olivis, sive oleribus. (p. 176) Pater autem noster Pachomius, dimissis in terra lacrimabundis oculis, nihil nisi solum panem comedebat. Finita caena, unus animadvertit eum flere, et dixit: « Pater, quare tempore edendi nihil nisi solum panem comedebas et fles? » Pater noster Pachomius respondit eis: « Flevi, quia nullus est in vobis timor Dei, si quidem sine verecundia ex omnibus appositis comedistis; etenim oportet virum, qui caelestia cogitat, *ab omnibus se abstinere*[2], * iuxta dictum apostoli Pauli; ego quidem, ut scivi panes maceratos, his solis contentus sum ». Denuo dixit etiam eis: « Vultisne hanc noctem vigiles agere? » Ipsi autem responderunt: « Volumus ». Et dixit eis: « Vigilandi tres sunt modi quos a seniore sancto patre meo abbate Palamone didici; ego quoque eos vobis dicam, ut unum vobis eligatis: vel orate a vespere usque ad mediam noctem, et postea recumbite usque ad horam collectae; (f. 167) vel recumbite usque ad mediam noctem, et orate usque ad mane; vel etiam alterna vice orate et recumbite a vespere usque ad mane ». Illi elegerunt sibi alterna vice recumbere et vigilare; vir autem Dei coepit statuere horas somni et horas orationis iuxta modum dictum. Alius frater somno victus secessit in locum et recubuit, alius autem sustinuit cum patre nostro in oratione usque ad mane. Hora autem collectae facta, excitaverunt etiam eum qui cubitum abierat, et collectam habuerunt. Qui sustinuerat usque ad mane secessit in infimam navem et recubuit quoque; qui autem recubuerat remigavit cum patre nostro donec pervenerunt in Thmušons. Ubi pervenit ad monasterium, salutavit fratres omnes et abbatem Cornelium hegumenum illis a patre nostro constitutum. Abbas autem Cornelius interrogavit fratres in navicula advectos: « Quid etiam pater noster his diebus egit? » * Responderunt ei: « Edocuit nos hac nocte ». (p. 178) Et dixit eis: « O infirmitas hominibus huius temporis facta!

[* p. 58.] [* p. 59.]

[1] Desinit S^4 fragm. 6. — [2] I *Cor.*, IX, 25.

vosne decet debili seni fecisse copiam vincendi vos iuvenes! » Vespere autem facto, egressi sunt ad edendum paululum panis; et pater noster Pachomius dixit abbati Cornelio: « Visne surgamus et precemur? » Respondit abbas Cornelius: « Fac quod vis ». Et ita surrexerunt, oraverunt et orationem produxerunt usque ad horam collectae. Signo autem collectae dato, cessavit abbas Cornelius et dixit patri nostro Pachomio: « Pater, quid tibi feci, ut ita me doceres? vespere, cum e caena egressus sum, non sivisti me paululum aquae bibere! » Respondit ei pater noster: « O Corneli, decetne dare debili seni copiam vincendi te! » Abbas autem Cornelius intellexit eum a Deo admonitum fuisse cum fratribus irriserat: debili seni fecistis copiam vincendi vos; confestim se humiliavit ei: « Dimitte mihi, pater, scio enim me peccasse cum non recte locutus sim ». Deinde abierunt et collectam habuerunt.

60. (f. 168) Rursus autem iter fecerunt et venerunt in Thbeue; visitavit fratres et festine reversus est in Phbou. Ut autem in Phbou pervenit, apud se constituit abbatem Paphnutium, fratrem abbatis Theodori, oeconomum monasteriorum; vir enim erat verbi et operis peritus atque in Domini virtutibus perfectus.

61. * Factum est etiam aliquando, cum aeger decumberet pater noster Pachomius, quod ei pararent ad edendum paululum gari optimi; aegrotabat enim. At ubi garum vidit, dixit Theodoro: « Affer sextarium aquae ». Qua allata, in garum eam infudit et manibus miscuit donec admixtum oleum efflueret; deinde dixit Theodoro: « Aquam in manus meas infunde ut eas lavem ». Et lavavit manus suas et aquam in pedes Theodori infudit. Hic deinde interrogavit: « Quid agis, pater? » Respondit pater noster Pachomius: « In parvis oleribus aquam infudi! voluptatis eorum suavitatem depravavi, ne appetitioni carnis responderent; (p. 180) et iterum, aquam in manus meas quasi lavares infudisti! quia tu meas lavasti manus, ego vero tuos lavavi pedes; quod totum feci ne damner, quia mihi famulatus sis cum me oporteat potius omnibus famulari ».

60. Av f. 37v; Am p. 577.
61. Av f. 37v; G1 § 64; Am p. 398.

62. Erat autem etiam in monasterio frater quem pater noster Pachomius saepissime salutis causa reprehendebat. Theodorus aliquando cum illo locutus est. Asseveravit ille, — animo enim adeo fractus erat ut discederet a fratribus, — et dixit Theodoro: « Ego quidem permanere non possum cum isto seniore cuius sermo in me omnimodo erumpit ». Respondit Theodorus, cum dolo sapientiae pleno volens sibimet onus * fratris imponere, his verbis: « Corne tuum quoque patitur? » Respondit ⌈ei: « Utique ». Dixit[1] ei iterum Theodorus: « Ego quoque patior plus quam tu; tamen, consolemur invicem, donec alias istum virum probemus; si benigne nobiscum egerit, tunc cum illo consistemus; (f. 169) alioquin, seorsum in alium locum ambo abibimus ». Quae cum audiret frater, maxime consolatus est propter verba quae ipsi dixerat. Theodorus autem patrem nostrum Pachomium, inscio fratre illo, adiit totamque rem aperuit. Pater noster Pachomius respondit: « Bene; sed[2] cum ad noctem perveneris, adduc illum mihi quasi me sitis reprehensuri; et ego, secundum quod Dominus in ore meo dederit, desiderium illius explebo ». In illa nocte Theodorus fratrem hunc adiit et dixit: « Surgamus, patrem nostrum adeamus et videamus quomodo locuturus sit nobiscum ». Confestim frater secutus est eum cum gaudio. Ut autem pervenerunt ad patrem nostrum Pachomium, loqui coeperunt. Pater noster Pachomius respondit: « Dimittite mihi, peccavi; utique patrem vestrum perferre decet vos ut filios bonos! » Theodorus autem coepit reprehendere perinde ac si revera irasceretur. Respondit autem frater et dixit Theodoro: « Sufficiat! res bene vertit, valde consolatus sum ». (p. 182) Et talis est modus quo Theodorus bono dolo profuit fratri patienti.

63. * Erat autem etiam inter fratres quidam qui patrem nostrum Pachomium rogare coepit: « Nisi mihi permiseris abire et meos visitare, abibo et saecularis iterum fiam ». Et confestim

62. Av f. 38r; S5 p. 146; S10 p. 50; G1 § 66; Am p. 409. — [1] Lege: ⲁϥⲉⲣⲟⲩⲱ ⲛⲁϥ [ϫⲉⲥⲉ. ⲡⲉϫⲁϥ ⲛⲁϥ] ⲟⲛ ... linea sahidica ex haplographia omissa. — [2] Incipit S5 fragm. 6.
63. Av f. 38v; S5 p. 147; S10 p. 48-49, 52-54; G1 §§ 67, 68; Am p. 410, 407.

Theodorum vocavit et dixit ei: « Novi sapientiam tuam et modum quo omnibus moerentibus misericors es; nunc igitur huic fratri fer auxilium et deduc eum ad parentes visitandos; ad eum omnino conformeris donec eum ad nos reducas; in eo enim multum est bonum et praesertim scimus Dei voluntatem 5 esse ut omnino ad omnes conformemur ⌈donec e manu inimici adversus eos pugnantis animas eorum salvemus[1]; et Deus laborum tuorum mercedem retribuet tibi ». Theodorus magna cum humilitate obedivit et cum fratre abiit. Ubi in illum locum pervenerunt, necesse fuit comedere paululum pa- 10 nis ⌈et quiescere[1]; (f. 170) et dixit frater parentibus suis: « Praeparate nobis in loco separato cibum quo uti solent monachi ». Ubi paratum est, dixit frater Theodoro: « Surge et paululum comedamus ». Hic autem nolebat in ulla saeculari domo comedere, quia suae consuetudinis non erat; sed, 15 cum consideraret fratrem facie tristem, novit eum dolere et in corde suo dixit: « Nisi ei in omnibus indulsero, mecum amplius non veniet; praesertim ecce nullus saecularis videt nos comedere, neque quid comedimus praeter cibum monachorum ». Et ita quasi immolatus paululum comedit; ad illum 20 omnino conformatus est, donec in monasterium *reduxit. Et, *p. 63. ut pervenerunt in monasterium[2], Theodorus patri nostro Pachomio quidquid evenerat narravit. Hic autem eum non reprehendit, quia sciebat id non proprio motu fecisse sed propter Deum fratrisque salutem. Postea Theodorus de Scripturis 25 cum fratre seorsum locutus est suadens ut abhinc parentes eius visitandos non adiret; et dixit ei: « Quomodo intelligis interpretationem huius dicti Evangelii: (p. 184) *qui venit ad me, si non odit patrem suum et matrem* et reliqua? »[3] Respondit frater: « Scriptura verba proponit altissima, ut ea partim 30 tantum attingamus; ceteroquin, quomodo parentes nostros odio habeamus? » Dixit ei iterum Theodorus: « Profecto ista est fides Tabennesiotarum? Evangelium dicit hoc, et tu a teipso solo dicis aliud! Utique, Dominus scit, si talis fuerit fides vestra, revertar in parvam mansionem e qua exivi; seniores enim 35 quibus ibi occurri nunquam Evangelia abnegabant ». Quae

[1] Omittunt Av et S⁶. — [2] Desinit S⁵ fragm. 6. — [3] Luc., xiv, 26.

cum dixisset, recedere in quemdam locum et aliquantisper se occultare simulavit. Frater autem patrem nostrum Pachomium adiit eique omnia narravit. Et pater noster Pachomius dixit fratri: « Nonne scis Theodorum esse neophytum? tu vero se- 5 nior es in patientia; nunc igitur festina, quaere illum; nam si hinc recesserit, fama nostra non erit bona ». Frater abiit, quaesivit Theodorum et verbo suadebat. * Dixit ei Theo- *p. 64. dorus: « Si vis ut hic consistam, (f. 171) coram Domino et fratribus mihi fatere: Evangeliis omnino haerebo ». Frater au- 10 tem confessus est parentes suos deinceps se non aditurum. Et talis est modus quo Theodorus dolo bono egit ut fratrem ad perfectionem sancti Evangelii adduceret.

64. Factum est autem etiam aliquando quod angelus Domini cum patre nostro loqueretur de fratre qui magna exerci- 15 tia multasque asceses faciebat non secundum Deum sed per vanam gloriam, ut hunc viam salutis doceret. Pater autem noster Pachomius cum illo seorsum locutus est: « Scriptum est: *Non veni de caelo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*[1]; nunc igitur, obsequere: cum fratres meri- 20 die ad edendum vocabuntur, vade quoque et paululum comede; et cibi quem comedunt et tu paululum comede, non quidem ad saturitatem; iterum cum sub vespere vocabuntur, abibimus et comedemus quod nobis satis est; dumtaxat, mihi obsequere; nam video (p. 186) invidentem et cupien- 25 tem totum laborem tuum perdere ». Ille laete annuit verbis quae sibi dixerat; deinde, ubi meridie fratres ad edendum vocati sunt, surrexit quoque et abiit ad edendum cum fratribus, et denuo secutus est errorem suum in se dicendo: « Ubinam scriptum est: non *ieiunabis »? Et ita, secutus denuo *p. 65. 30 vanum cordis sui iudicium, non est ingressus ad edendum cum fratribus. Pater autem noster Pachomius de illo[2] contristabatur, et postea Theodorum vocavit, misit ad illum et dixit: « Vade et vide quid frater ille agat; si orantem inveneris, illum apprehende donec veniam; et statim vana gloria in illo cito 35 manifestabitur ». Surrexit Theodorus et egit sicut sibi prae-

64. Av f. 39ᵛ; S⁴ p. 230; G¹ § 69; Am p. 420. — [1] Ioh., vi, 38. — [2] Incipit S⁴ fragm. 7.

ceperat pater noster Pachomius; et, ubi illum adiit, orantem invenit et apprehendit. Confestim ille iratus sicut diabolus magnum lapidem[3] apprehendit ut in caput Theodori iniceret et eum occideret, (f. 172) et dicebat Theodoro: « Impie, qui me prohibes quominus Dominum Deum orem! » Theodorus autem increpavit eum; et confestim daemon, qui in eo erat, quievit. Dixit daemon: « Visne scire me impellere illos qui cum voluptate cantant? Si mihi non credis, ausculta hunc fratrem psallentem; novies eamdem lectionem cantabit ». Erat autem frater in cella psallens initium cantici Moysis: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*[4]. Theodorus auscultavit; et factum est sicut dixerat daemon; et miratus est reputans an posset homo per multas angustias insidias diaboli effugere. Et cum apud fratrem a se cohibitum sederet Theodorus, ad eum venit pater noster Pachomius; * ipse et Theodorus steterunt et oraverunt pro illo. Dominus sanavit illum et oculos cordis illius aperuit: ille cognovit quomodo acturus esset[5], non ut stultus sed ut sapiens[6], et Deum glorificavit.

65. Factum est autem etiam aliquando quod pater noster Pachomius fratres assumeret et descenderet in puteum monasterii ut mundaret illum. (p. 138) Erat autem senior qui diu in saeculo degerat, et nuper monachus factus fuerat; hic murmurare coepit his verbis: « Num hic senior filios hominum in hunc puteum demittet ad occidendos eos? » In illa autem nocte seipsum in somnio vidit quasi supra puteum stantem; despexit in puteo et vidit virum gloria fulgentem in medio fratrum alacriter operantium; vir dicebat fratribus: « Accipite spiritum obedientiae et fortitudinis; tu vero, senex, accipe spiritum diffidentiae erga sanctos ». Mane autem huius diei facto, inter collectam senex in medium fratrum venit et deiectus in facie coram omnibus illa manifestavit.

66. Pater noster Pachomius aliquando cum fratribus iuncos metebat; quadam die omnes iuncis onerati naviculam repete-

[3] S^4 « lignum »; Av « baculum ». — [4] *Exod.*, xv, 1. — [5] Lege cum S^4: ϫⲉⲉϥⲉⲉⲣϩⲱⲃ. — [6] Cf. *Ephes.*, v, 15.

65. Av f. 40^v; S^4 p. 231; S^{10} p. 54; G^1 § 70; Am p. 411.

66. Av f. 41^r; S^4 p. 232; S^{10} p. 56; G^1 § 71; Am p. 413.

bant et patrem nostrum Pachomium sequebantur sacras Scripturas meditando. Cum medium iter peragrasset, adspexit in caelum et magnae visiones ipsi patefactae sunt; postea ipse et fratres iuncorum sarcinas abiecerunt, steterunt et oraverunt. (f. 173) Vir autem Dei Pachomius coepit obstupescere perdiu propter visionem * terribilem quam viderat, proiecit se in faciem et coepit perdiu flere, fratribus etiam cum eo in multis lacrimis flentibus. Ubi a terra surrexit, fratres eum interrogaverunt: « Narra nobis quod vidisti, pater ». Ipse autem sedit, locutus est cum eis verbum Dei et dixit: « Vidi totum coetum communitatis in afflictione positum. Alii quidem magna circumdabantur ignis flamma quam transgredi non poterant; alii autem in medio spinarum positi acuminibusque puncti non habebant quo exirent; alii in alta fovea deiecti, quamquam in angustia conabantur, non poterant ascendere propter altitudinem huius praecipitii, nec se proicere in flumen propter crocodilos sibi insidiantes. Nunc igitur, filii, vae mihi! puto enim ea omnia post mortem meam fratribus eventura »[1]. Postea surrexit, oravit et iuncorum sarcinam asportavit; fratres etiam sarcinas suas asportaverunt, meditando donec ad naviculam venerunt.

67. (p. 190) Cum autem exirent ad naviculam, frater senior qui in vicino anachoreta versabatur venit ad Pachomium fratresque omnes visitandos. Quem cum salutasset Pachomius, misit Theodorum: « Vade, cibum para et pasce fratrem hunc qui venit ad nos ». Theodorus egressus ab eo sedit et reputavit ipsi dixisse: « Sine, ut loquar cum fratre ». Postea misit Pachomius etiam alium fratrem; neque hic novit quid ipsi dixisset, et egressus sedit quoque. * Pater autem noster Pachomius intellexit opus esse spiritus, surrexit, cibum paravit, fratrem aluit et dimisit; dein Theodorum vocavit cui dixit: « Si pater tuus carnalis tibi aliquid diceret, num imperium recusares! tunc cur mandato meo non paruisti et fratrem non aluisti qui ad nos venerat? » Respondit Theodorus: « Dimitte mihi, reputavi te mihi dixisse: Sine, ut loquar cum fratre ». Et cum alium vocas-

[1] Av et S^4 addunt: « ideoque eos inventuros esse neminem qui consoletur in tribulationibus » (cf. *Psalm.* LXVIII, 21).

67. Av f. 41^v; S^4 p. 233; S^{10} p. 60-61; G^1 §§ 72, 73, 75; Am p. 416, 424.

set, hic etiam eadem verba respondit. Pater autem noster Pachomius suspiravit his verbis: « Novi pravum spiritum opus bonum prohibuisse; (f. 174) sed benedictus sit Dominus, qui *sapientiam* et misericordiam *dat omnibus diligentibus se*[1]. Saepe enim audivi pravos spiritus colloquentes de variis malis quibus nocent hominibus; aliquando daemonem audivi dicentem alii daemoni moeste: his diebus hominem circumdo difficilem in omnibus operibus eius; nam si malum in eo consilium insinuo, confestim surgit, orat et ad Dominum flet, et ego uror et fugio. Alius vero daemon dixit: quidquid quidem ego suadeo homini mihi commisso, hic statim agit multoque amplius. Ideoque nunc cavete a malis cogitationibus. Etenim nunc domus, in qua sunt centum cellae, unam cellam si quis a domus domino emerit, num * ab aliquo prohiberi poterit quominus illam intret, etiamsi omnium sit intima? Ita etiam vir fidelis, quamquam omnes fructus Spiritus possideat[2], si unum ex eis neglexerit, nonne in eo coram inimico imbecillus fiet? (p. 192) immo probabiliter, ⌜nisi[3] resipuerit, in alio quoque vincetur. Etenim non unicus inter Dei cultores gradus datur; nam sunt principes spiritu divites; sunt quinquagenarii, centuriones, chiliarchae; sunt reges perfecti, sicut pater noster Abraham, cui dictum est: *tu rex a Deo*[4], non qualiscumque rex, sed rex quocum habibat rex regum »[5]. Ea omnia pater noster Pachomius recitabat in interiore casa prope fluminis ripam ubi e navicula exscendebant; et timorem de animarum salute fratribus incutiebat.

68. Factum est autem postero die quod mane assumeret fratres et ad iuncos metendos egrederetur; nondum enim quod satis erat invenerant. Erat inter fratres vetus senior, domuspraepositus, nomine abbas Mauo; hic cum fratribus tunc non egressus est, sed morbum simulans in casa recubuit; non aegrobat revera, sed valde iratus de doctrina, quam a patre nostro

[1] Cf. *Eccli.*, I, 10. — [2] Cf. *Galat.*, VI, 22-23. — [3] Boh et S[4] negationem non habent; tamen G[1] et G[3]: ἴσως δὲ, ἐὰν μὴ νήψῃ, νικᾷ αὐτὸν καὶ ἐν ἄλλῳ. Cf. IAC., II, 10. — [4] Cf. *Genes.*, XXIII, 6. — [5] Av et S[4] addunt: « quasi sedens in solio ».

68. Av f. 42v; S[4] p. 235; S[10] p. 66-68; G[1] § 76; Am p. 427. —

Pachomio sub vesperum audierat, dixit: « Quinam sunt illi magni sermones quos iste senex vespere habuit? num singulis horis in casus periculo sumus? » (f. 175) Dum ea animo retractabat, Dei benignitas * eum recreare voluit; confestim episcopus ad patrem nostrum Pachomium epistulam misit per monachum veste e villis texta indutum et alium fratrem comitem. Scripserat ad eum sic: « Ecce hunc seniorem ad te misimus; qui, multum exercitatus, in causa furti a nobis inventus est; eum ut iudices ad te misimus, quia monachus est ». Cum illi ad naviculae stationem et ad casam venissent et patrem nostrum requirerent, hunc egressum cum fratribus ad iuncos metendos comperti sunt. Senior autem abbas Mauo illos salutavit et dixit: « Paulum sedete, donec redeat pater noster »; dein dixit Theodoro utpote ministro: « Cito cibum para et refice fratres qui ad nos venerunt; nam e forma huius magni viri video eum esse pium ». Ubi ad vesperum pater noster Pachomius iuncis oneratus cum fratribus advenit et illos salutavit, epistulam episcopi ad eum dederunt; (f. 194) quam cum legisset vir Dei per[1] Spiritus sancti in se habitantis discretionem statim increpavit seniorem de peccato admisso. Senior autem patrem nostrum Pachomium rogavit flendo et confitendo delictum suum cum magna humilitate. Respondit ei pater noster Pachomius: « *Saepissime cadimus omnes*[2], sed misericordem Deum oremus; et, si deinceps caverimus, salvabit et nos ». His ab eo dictis, abiit ille cum fratre socio valde consolatus propter * levem poenitentiam a patre nostro Pachomio acceptam. Senior autem abbas Mauo, cum ea de seniore audiisset, miratus est et Deum glorificavit propter sermonem de cautione quem sub vesperum a patre nostro Pachomio audierat. Locutus est autem cum eo pater noster Pachomius: « O Mauo, putasne, quia supra immobilem petram confirmatus es, ita et omnes hanc viam inventuros esse! ⌜oremus ad *Dominum misericordem et miseratorem*[3]⌝ ut eripiat nos e laqueo insidiatoris mali pravique diaboli ».

[1] [ⲛ̄]ϩⲣⲏⲓ ϧⲉⲛ- = S[4]: ϩⲣⲁⲓ ϩⲛ̄-. — [2] IAC., III, 2. — [3] Cf. *Psalm.* CIII, 8; CX, 4. Av et S[4] habent: « oremus ad misericordem, ut salvet nos ab eo *qui movet reges et vastat orbem* » (Is., XIV, 16-17). Nota denuo locum retractatum fuisse in fine paginae.

(f. 176) Respondit senior abbas Mauo: « Ignosce mihi, domine pater et vir Dei, quia in ignorantia cordis mei ausus sum contemnere Spiritum sanctum in te habitantem ».

69. Dominica autem erat dies illa; Theodorum vocavit pater noster Pachomius et dixit ei: « Cum vespere ad edendum egressi fuerunt fratres, servitium tuum alii fratri committes et in locum in quo ad catechesim convenimus venies ». Et ita egit Theodorus, et cum pervenisset ad eum stantem et cum fratribus verbum Dei loquentem, Pachomius in medio fratrum manum eius apprehendit et dixit: « Hic sta et nobis loquere verbum sanctum Dei ». Adstantibus omnibus fratribus patreque nostro qui, sicut omnes fratres auscultabat, cum Theodorus invitus coepisset loqui, quidam ex eis statim superbe irati ad domos suas ne verbum Dei audirent reversi sunt dicendo: « Hic minor est natu, ⌈nos vero * senuimus; et iubet hunc catechizare nos! »[1] (p. 196) In tricesimo tertio[2] suo anno erat, quando ad catechizandum constituit eum Pachomius qui noverat eum illis antecellere. Ubi vidit pater noster Pachomius quosdam ex illis abiisse ne verbum Dei ex ore Theodori audirent, sedit et illis locutus est his verbis: « Quaenam est inter vos magna ⌈ratiocinatio?[3] quia iuvenem constitui qui nos catechizaret! o magna vanaque insania! nonne verba, quae locutus est, Domini universi sunt? Etenim audimus Dominum de parvulo dicentem: *qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo me suscepit.*[4] Aut etiam nonne vobiscum quoque eram et stabam sicut unus ex vobis? et non simulabam, sed ex toto corde audiebam, sicut qui sitit aquam frigidam[5] in diebus aestivis. Verbum enim Dei omni *acceptione dignum est*[6], sicut scriptum est. Miseri

69. Av f. 44r; S4 p. 236; G1 § 77; Am p. 430. — [1] Omittunt Av et S4. — [2] ϧⲉⲛ ⲗ̅ⲅ̅ ⲅⲁⲣ ⲛⲣⲟⲙⲡⲓ ; videtur ⲗ̅ⲅ̅ ⲅⲁⲣ ex dittographia scriptum pro ⲗ̅ ⲅⲁⲣ. Nam S4: ⲕⲁⲓ ⲅⲁⲣ ⲉϥϩⲛⲙⲁⲁⲃⲉ ⲛⲣⲟⲙⲡⲉ « etenim erat in tricesimo anno »; similiter Av: « in tricesimo anno »; et G1 p. 52, *25*: ἦν δὲ ὡς λ' ἐτῶν. Cf. *Epist. Amm.*, p. 101, *22*, *25*; *Paralipp.*, p. 122, *5*. — [3] ⲁϣⲡⲉ ⲡⲓⲙⲓϣϯ ; S4: ⲁϣ ⲙ̄ⲙⲟⲩϣⲧ « quae est ratiocinatio »; Av similiter: « quid quaeritis »; G1: οἱ δὲ ἀγανακτήσαντες τίνι λογισμῷ ἐποίησαν τοῦτο ; Quid legerit archetypus sahidicus, diudicare difficile est; forte: ⲁϣⲡⲉ ⲡⲉⲓⲛⲟϭ ⲙⲙⲟⲩϣⲧ, vel ⲁϣⲡⲉ ⲡⲉⲓⲛⲟϭⲛⲉϭ (= ὀνειδισμός). — [4] MATTH., XVIII, 5. — [5] Cf. *Prov.*, XXV, 25. — [6] I *Tim.*, I, 15; IV, 9.

qui *recesserunt retro*[7] et alieni facti sunt a misericordiis benignitateque Dei! (f. 177) Ecce testor vobis vitam illorum, nisi a superbia conversi fuerint, fore tristem; nam *iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu vivificabit* »[8]. Quae cum dixisset, surrexit, oravit et dimisit singulos fratres in domos eorum; deinde, cum finem * iuncos metendi fecisset, monasterium petivit.

70. Cum autem Theodorum in spiritu Domini idoneum videret, eum in Tabennesi constituit oeconomum, qui alios regeret; ipse vero pater noster Pachomius in monasterio Phbou, in quo administratio[1] octo monasteriorum in unum coacta erat, constitit. Ubi autem in Tabennesi constitutus est Theodorus, quasi non constitutus omnino agebat, quia nullam carnalem in se habebat cupidinem; *verbum* enim *Dei eum inflammabat*[2] et confortabat ad caelestia, non vero *terrena cogitanda*[3]. Totus autem eius zelus erat ut *Deum ex toto corde diligeret*[4], iuxta mandatum ⌈nobis in Evangelio datum[5]; (p. 198) et optime proficiebat et fratribus proderat, prout *sermonem gratiae* omnino *plenum habebat*[6].

71. Paphnutium autem etiam, Theodori fratrem, apud se in Phbou constituit, qui omnium monasteriorum opera manualia colligeret et omnia quibus egerent illis ministraret. In Phbou autem bis in anno conveniebant fratres: Pascha simul in verbo Dei agebant, et iterum ad diem vicesimum mensis Mesore tempore fructuum rationes magno oeconomo referebantur et mandata, quibus quis egeret, a patre nostro Pachomio statuebantur; dein singuli in locum suum in multa pace se recipiebant.

72. Pater autem noster Pachomius etiam aliquando in Tabennesi venit ad visitandos fratres et ob * transgressionem parvam a quodam fratre admissam; et, ut primum pervenit ad monasterium, stoream statim texuit secundum rationem suam.

[7] Cf. *Psalm.* XLIII, 19. — [8] *Psalm.* XXXIII, 19.

70. Av f. 44v; S4 p. 238; G1 § 78; Am p. 434. — [1] Lege cum S4: ⲟⲓⲕⲟⲛⲟⲙⲓⲁ. — [2] *Psalm.* CIV, 19. — [3] Cf. *Coloss.*, III, 2. — [4] MATTH., XXII, 37. — [5] Ommittunt Av et S4. — [6] Cf. *Coloss.*, IV, 6.

71. Av f. 45r; S4 p. 236; G1 § 83b; Am p. 639.

72. Av f. 45r; S5 p. 148; S4 p. 239; G1 §§ 96a, 86, 97; Am p. 441, 471.

Dum autem in opere versatur, ingressus est puer huius hebdomadis minister in monasterio; qui, ut vidit patrem nostrum Pachomium stoream texentem, dixit ei: « Hic non est modus nunc operandi, (f. 178) sed pater noster Theodorus praecepit non subtemen nimis comprimere ita ut storeae bene flexibiles (?) et pulchrae sint »[1]. Confestim surrexit pater noster Pachomius et dixit fratri: « Veni, sedeas et monstra mihi »; et ubi a puero edoctus est, sedit iterum pater noster Pachomius et laete operatus est quia[2] superbiae sensum superaverat; et puerum non increpavit quod praeter modum locutus esset. Deinde, finita storea, sedit et in verbo Dei a mane ad vesperum cum fratribus locutus est; postea dixit eis: « Huc hodie missus sum propter salutem animae cuiusdam; et illum, propter quem huc adveni, in fictili cado inveni ». Haec autem in aenigmate dicebat de peccato animae[3]; et cum ea diceret, adstabat frater nomine Elias, vir simplex, qui quinque ficus post ieiunium edendas subduxerat. Elias, ut audivit terribilia verba a patre nostro Pachomio dicta, novit causam ad se pertinere, cito surrexit, abiit[4], in medium fratrum quinque ficus in cado attulit, (p. 200) et rem manifestavit * his verbis: « Domine pater, dimitte mihi peccatum meum; Dominus scit me has solas subduxisse; ecce, vobis culpam meam manifestavi ». Fratres autem spiritum Dei in patre nostro Pachomio habitantem perfectamque eius sagacitatem mirati sunt. Postea surrexit et, nullo cibo nulloque potu sumpto, in Phbou abiit. (* p. 75.)

73. Theodorus autem, in Tabennesi constitutus, duxerat consuetudinem absoluto opere suo manuali veniendi quotidie in Phbou, ut verbum Dei a patre nostro Pachomio ita audiret ut eadem die in Tabennesi reversus omnibus in Tabennesi fratribus referret; et perdiu ita egit. Venit igitur Theodorus iuxta consuetudinem ut audiret quae dicerentur; cum autem patrem nostrum Pachomium non inveniret, ascendit super tectum collectae et meditatus est. Ipse pater noster Pachomius, nesciente Theodoro, in collecta orabat ; et, dum orat, vidit visiones

[1] S[4] addit: ⲁϥⲟⲩⲱϣⲃ ⲛⲁϥ' ⲕⲁⲗⲱⲥ « respondit ei: bene ». — [2] Incipit S[5] fragm. 7. — [3] Desinit S[4] fragm. 7. — [4] Corrige: [ⲁϥ]ϣⲉ ⲛⲁϥ.

73. Av f. 45v; S[5] p. 148; S[10] p. 77-81; G[1] § 88; Am p. 440, 442.

et revelationes terribiles; (f. 179) et confestim collecta velut aqua mota est. Theodorus autem, ut vidit tecti motum, timens ac tremens cito descendit et, prae timore quo afficiebatur, collectam ingressus est ad orandum; et, cum oraret expansis manibus nec prae timore huius loci stare valeret, tunc sedit; et cum sedisset, compressus est sicut quis inter[1] duplicem parietem compressus; * tunc e collecta cito aufugit; inter ea autem omnia nesciebat patrem nostrum Pachomium intus adesse. (* p. 76.) Haec est revelatio quam[2] pater noster Pachomius, cum oraret, vidit: considerabat orientalem adyti parietem totam ureum factam; in illa pariete erat effigies magna, tamquam magna tabula, gerens in capite coronam; cuius coronae immensus erat splendor et in circuitu eius figurae diversi coloris tamquam gemmae pretiosae quae sunt fructus Spiritus sancti: (p. 202) fides, bonum, timor, misericordia, puritas, humilitas, iustitia, longanimitas, benignitas, mansuetudo, continentia, gaudium, spes et charitas perfecta[3]; adstabant duo magni archangeli valde honorabiles, et immobiles considerabant figuram Domini qui apparuerat in collecta. Dum autem hanc revelationem videt pater noster Pachomius, perseverabat in oratione et precibus dicendo: « Domine,timor tuus super nos omnes plene descendat, ne tibi per totam vitam nostram peccemus ». Et ipse perseverabat eumdem postulatum repetendo. Et dixerunt ei angeli: « Timorem Domini, eo modo quo postulas, sustinere non potes ». Ipse autem dixit: « Utique, possum per gratiam Dei ». Et confestim ad eum paulatim progressus est timoris radius; * qui stetit immobilis, sicut sol lucens super universam terram; et species huius radii lucentis erat ⌜mirabiliter horrifica et valde[4] viridis. (f. 180) Cum autem timor eum apprehendisset, transfixit membra eius omnia, animum, medullas totumque corpus. Ipse confestim cecidit super terram et coepit subsilire sicut piscis vivens, ita ut anima sua pateretur et ad mortem deficeret. Angeli autem ad eum partem vultus sui dirigebant, nec oculos ab imagine Dei patri nostro Pachomio apparentis avertebant; et dixerunt patri nostro Pachomio: (* p. 77.)

[1] Corrige: ⲟⲩ[ⲧⲉ]. — [2] Desinit S[5] fragm. 7. — [3] Cf. *Galat.*, v, 22. — [4] Omittit Av.

« Nonne tibi diximus te non posse totum impetum Domini sustinere ». Ipse autem clamabat his verbis: « Domine Iesu Christe, miserere mei! » Et confestim paulatim timoris radius recessit donec in locum suum reversus est. Deinde super patrem nostrum Pachomium, sicut pingue oleum sanctum, venit splendor misericordiae. Ubi autem a misericordia tactus est, recreatus cito se erexit, coepit Deum benedicere usque ad horam in qua fratres collectam habebant, et paululum quievit. Post collectam matutinam Theodorus invenit patrem nostrum Pachomium illa seorsum quibusdam senioribus patribus narrantem et cum suspiriis lacrimisque dicentem: (p. 204) « Hac nocte parum abfuit quominus anima mea auferetur quando collectam * ad manus meas ad Dominum extendendas ingressus sum; et cum in angustia animae versarer, ingressus est quis adeo audax ut et anima eius auferetur (prope) propter timorem quem vidit ». Respondit Theodorus et dixit: « Ego sum, pater sancte; etenim cum vespere descendissem ad te visitandum benedictionemque tuam accipiendam, et te non invenerim, ascendi tectum collectae; paulo autem postea, cum meditarer, mota est collecta; ego vero territus et fugiens descendi; postea conatus sum collectam ingredi, sed corpus meum horruit, et cito fugiens egressus sum cum magno timore ». Et dixit pater noster Pachomius: « Dominus scit, fili mi Theodore, te magnam misericordiam consecutum cum inde fugeres ». Quae cum audirent seniores veteres, valde timuerunt et dicebant: « Sancti sunt sicut caeli incolae in consiliis suis rectis erga Dominum nostrum Iesum Christum ».

* p. 78.

74. (f. 181) Venit etiam aliquando Theodorus in Phbou ad visitandum patrem nostrum Pachomium corpore debilem. Hic, ubi Theodorus advenit, dixit ei: « Vade, percontare de illa violatione quot sint qui vespere in pistrino locuti fuerint ». Abiit Theodorus, perquisivit atque invenit quinque[1] fratres locutos fuisse; et venit ut patrem nostrum certiorem faceret. Et dixit pater noster Pachomius: « Theodore, putantne isti haec esse humana? testor tibi, etiamsi minima mandantur, tamen magnum est. Etenim illa multitudo magna septem dies Iericho circuivit tacita, ut praecepto dato obtemperaret[2]; postquam clamandi[3] mandatum accepit, iterum obtemperans perfecit voluntatem Dei sibi per hominem imperantis. Ceterum et isti sibi deinceps caveant; et ipsis dimittentur quae egerunt; nisi enim animabus eorum profuisset illud mandatum, non ita de illo statuissem ». Revera saepe Theodorum mittebat ad alia visitanda monasteria, et in medio fratrum saepe dicebat: (p. 206) « Ego et Theodorus in hoc eodem officio quo fungimur Deo servimus; in omnibus enim imperium exercet ut pater et dominus ».

* p. 79.

74. Cf. infra § 77; Av f. 47v; G¹ §§ 89, 91a. — [1] Secundum Av; G¹ habet: πολλοὺς εὗρεν.

75. Abiit etiam aliquando Theodorus in quoddam monasterium ad visitandos fratres. Adduxerunt ei confestim fratrem quem dicebant furatum esse, ut e fratribus hac de causa eiceretur. Non vero furatus fuerat ille, sed alius quem fidelem fratres existimabant omnes; et illum calumniati sunt quia coram ipsis paululum negligens erat. Qui furatus fuerat, cum videret non solum se primum peccatum admisisse sed et alium fratrem propter se in eo ut eiceretur e monasterio * seorsum adiit Theodorum his verbis: « Ignosce mihi, pater, ego enim hoc furtum feci ». Dixit ei Theodorus: « Peccatum quod admisisti Deus dimisit tibi, quia coram nobis purgasti eum qui nullius reus est peccati ». Deinde vocavit illum quem calumniabantur et dixit ei: « Scio te huius peccati non esse reum, tamen, si paululum de hoc peccato quod non admisisti a fratribus oppressus es, (f. 182) ne superbias eo quod huius peccati insons sis; etenim maxime debes Domino propter alia peccata tua admissa; ideo grato animo esto et Eum time quamdiu vixeris ». Postea cum fratribus etiam hac de re locutus est: « Nonne mihi hanc causam commisistis ut iudicem? nunc igitur haec est Domini voluntas: ut ille absolvatur; omnes enim divinis misericordiis indigemus ».

* p. 80.

76. Erat autem etiam frater daemonis tentationibus obnoxius in monasterio Tabennesi. Hunc super asinum imposuit Theo-

[2] Cf. *Ios.*, VI, 3 et sq. — [3] Lege: ϵωϣ ; G¹: τοῦ κράζειν,

75. Av f. 48r; S¹⁰ p. 84; G¹ § 92; Am p. 455.

76. Av f. 48v; Am p. 445.

dorus et adduxit in Phbou ut pater noster Pachomius pro eo oraret. Cum appropinquaret Theodorus, vidit eum procul pater noster Pachomius qui stabat loquens cum fratribus verbum Dei ad animarum eorum salutem; et statim reliquit fratres et exivit obviam Theodoro. Et ecce quidam ex illis indignati sunt et dixerunt: « Nos natu maiores sumus, et, ubi vidit Theodorum quamquam iuvenem, nos reliquit, abiit et exivit obviam ei » * Qui indignati sunt iidem erant qui olim corde moti sunt (p. 209) quando Theodorum constituit ad catechizandos fratres de salute animarum eorum. Et salutato Theodoro, dixit ei: « Priusquam ad me hodie venires, mandato Domini certior factus sum de te; nunc igitur vade, alii committe fratrem hunc aegrotum quem tecum adduxisti, et cito assequere me in collecta ». Pater autem noster Pachomius oravit pro fratribus et dimisit eos; qui singuli domos suas petierunt. Ubi ad se reversus est Theodorus, assumpsit eum pater noster Pachomius et collectam ingressus est; steterunt et oraverunt ab hora secunda usque ad nonam. Dum autem orant, ecce apparuit supra illos thronus magnus, altus sicut turris; in eo sedebat Dominus sub forma iuxta quam apparere illis voluerat. Interdum thronus ita assurgebat ut eum videre desinerent; interdum etiam in illos descendebat ita ut eum propemodum manu tangerent. Et ita per tres horas continuas perstitit eodem modo thronus. Quando autem descendebat thronus, pater noster Pachomius Theodorum apprehendebat levaturus in manibus suis (f. 183) et oblaturus ei qui sedebat in throno, et dicebat: « Domine, a me accipe donum meum »; et ita perseveravit, eadem pluries dicendo, donec percepit vocem: « Exaudita est deprecatio tua; *viriliter age et confortare* »[1]. * Postea iterum misit Theodorum qui fratrem aegrotum adduceret. Simul oraverunt pro illo. Et ita Dominus sanavit illum a morbo. Theodorus assumpsit illum; et ascendit in Tabennesi quasi nullomodo aegrotasset ille.

77. Factum est autem etiam aliquando quod esset pater noster Pachomius in Tabennesi cum fratribus fabricantibus par-

[1] I *Cor.*, xvi, 13.

77. Av f. 49r; Am p. 446; cf. supra § 74.

vos panes necessarios ad annum in Phbou; nondum enim erant pistores in Phbou. Et praeceptum illis dederat ne quis in pistrino loqueretur sed simul verbum Dei meditarentur; et si quis pistor aqua indigeret, manu magidem percuteret. Pinsentibus igitur illis aliquando, unus e pistoribus locutus est cum aliis ministris: « Date mihi paululum aquae ». Pater autem noster Pachomius procul stabat, (p. 210) et statim innuit ei angelus Domini, dum illi adhuc loquuntur: « Vide quomodo isti agant et violent praeceptum quod eis dedisti; nunc ergo, si Theodorus ad te venerit et manum ad te moverit, num eius oblivisceris »? Respondit: « Minime ». Mane autem facto, pater noster Pachomius vocavit Theodorum, — Theodorus enim erat in monasterio Tabennesi pater et ipse etiam pistrini pistorumque curam gerabat —, et dixit ei: « Vade, percontare quis praeceptum vespere in pistrino violaverit ». Theodorus * rem studiose inquisivit et invenit decem et octo deliquisse; ad patrem nostrum Pachomium anceps reversus, ad eum manum suam movit et dixit: « A quo usque quo? » Cum autem pater noster Pachomius videret eum ad se manum movere, recordatus est verbi quod angelus dixerat, et statim risit palam risu irae plenissimo. Et Theodorus, ubi risus eius formam vidit, magis contristatus est. Et quidam e circumstantibus dixerunt ei: (f. 184) « Cur fles, quid tibi dixit »? Respondit eis pater noster Pachomius: « Sinite illum illacrimari negligentiae quam admisit coram Deo ». Theodorus autem alii fratri pistrini curam commisit et iussu patris nostri Pachomii in quemdam locum monasterii recessit; et alternis diebus ieiunabat cum suspiriis, et diu noctuque cum lacrimis orabat propter ea quae fratres egerant. Et post tertium sabbatum huius magnae asceseos dixit ei pater noster Pachomius: « Desine, sufficit enim; sed abhinc caveas ne ita negligas ut inter fratres violatio fiat et tu reus sis peccati coram Domino Iesu Christo ».

78 Cum autem pater noster Pachomius Theodorum proficere videret in opere Domini, abduxit eum e Tabennesi et alium in eius loco constituit abbatem Surum (cognomine) Album qui pater ibi esset; Theodorum autem adduxit in Phbou et apud

78. Av f. 49v; Am p. 448.

se constituit ut sibi auxilio esset sicut Iesus Naue adstabat * Moysi; et eum saepe ad monasteria mittebat ut fratres visitaret confirmaretque in verbo Dei. (p. 212) Ceteroquin ipse Theodorus in singula monasteria introducebat eos qui monasticam vitam appetebant; et etiam si quidam iussu Domini patrisque nostri Pachomii eiciendi erant, ipse eos eiciebat.

* p. 84.

79. Factum est autem etiam aliquando, cum operaretur in quodam loco cum fratribus, quod Theodorus opere absoluto iuberet escam vespere edendam parare. Cum ederent fratres, ipse stabat et ministrabat eis; animadvertit autem unum e convivis copiose edere porros in mensa positos. Hic erat iuvenis validus nec iam diu apud fratres degebat. Theodorus autem, postquam servitium mensae fratrum explevit, seorsum recessit et tergum suum parieti applicuit; ieiunabat enim alternis diebus, et foris multus erat aestus. Postea cum fratribus locutus est de illo quem viderat copiosos porros edisse, — hic vero adstabat et audiebat, — et dixit: « Monachum non decet porros copiosos edere, quia corpori vires pariunt et animae pugnam excitant ». (f. 185) Et dum loquitur, ad eos venit pater noster Pachomius qui locum in quo operabatur cum fratribus inspicere volebat. Cum autem Theodorum parieti innixum videret, cum tristitia dixit ei: « Num paries portaturus est corpus tuum » ? Confestim Theodorus se erexit et patri nostro Pachomio humiliter paenam luit; et in omnibus indesinenter se humiliabat, * ut perfectus in lege Domini fieret. Ipse autem Theodorus valde tristatus est de fratre cui exprobraverat multos porros comedisse, quia Dei voluntas omnino non erat quod ita loqueretur; et dicebat: « Quare non expectavi donec a Domino stimularetur in propria conscientia et disceret corpus suum subicere in virtute illorum qui bene exercitantur? » Frater autem ille, ut ea audivit, non amplius porros edere aggressus est usque in diem mortis suae[1]. Theodorus autem, cum videret hunc fratrem non amplius porros edere aggredi, ipse quoque sibi attendit nec porros edidit usque in diem mortis suae; timebat ne a Deo iudicaretur, si ab eo quod ceteris exprobravisset ipse quoque non abstineret.

* p. 85.

79. Av f. 50r; Am p. 458. — [1] Av addit: « et anni patientiae eius sunt viginti novem ».

80. (p. 214) Cum autem aliquando unus e fratribus, missus a principe illius monasterii ad quoddam servitium, e quodam loco adveniret portaretque in humeris pallium, ipsi occurrit Theodorus et dixit: « Unde venis » ? Pater[1] autem noster Pachomius procul stabat et audivit eum interrogantem illum; postquam frater progressus est, vocavit Theodorum et dixit ei: « Theodore, festina cor tuum semper in abstinentia continere, ne assuescas ad interrogandum quo vir vadat, praeterquam si interroges tantum de salute animae eius ». ⌈Theodorus autem * his auditis, consilium ad vitae tempus inivit his verbis: « Hanc rem, sive parva sit, sive magna, non amplius aggrediar »[2].

* p. 86.

81. Factum est autem etiam aliquando quod hora diei septima, magno foris aestu vigente, pater noster Pachomius Theodorum vocaret et diceret: « Eamus et paululum panis edamus; nam monasterium Thmušons nobis cito petendum est propter fratrem catechumenum morti[1] proximum ». Dixit Theodorus: « Sicut vis ». Statim surrexerunt et petierunt vescendi locum. (f. 186) Nullus vir tunc erat in vescendi loco, nisi ipsi ambo soli; et, postquam panes in aquam immerserunt, dixit Theodoro: « Oremus, donec molles fiant panes ». Et, cum orare coepissent, timor magnus descendit super eos; et viderunt virum splendidum coram ipsis adstantem, qui manus ad ipsos extendit ⌈et dixit eis[2]: « Preces vestras odorem afflantes mihi date, ut eas deferam ad pedes Domini ». Confestim proiecerunt se in terram et exclamaverunt ad Deum dicendo cum magnis precibus lacrimisque: « Domine Deus noster, *fiat misericordia tua super nos* »[3]. Deinde perseveraverunt in oratione usque ad vesperum; pater noster Pachomius magnas[4] preces fundebat, ut Dominus fratrem cathecumenum in corpore ser-

80. Av f. 51r; S[4] p. 252; Am p. 449. — [1] Incipit S[4] fragm. 10. — [2] Desinit S[4] fragm. 10 his verbis concordantibus cum Av: « Theodorus, his auditis, ea posuit in corde suo uti legem Dei his verbis: Ea est res minima, sed in Evangelio scriptum est: *qui fidelis est in minimo et in maiori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est* (Luc., xvi, 10) ».

81. Av f. 51r; S[5] p. 150; S[4] p. 240; G[1] § 93b; Am p. 460. — [1] Incipit S[4] fragm. 8. — [2] Linea sahidica omissa: ⲉϥϫⲱ ⲙ̄ⲙⲟⲥ ⲛⲁϥ. — [3] *Psalm.* xxxii, 22. — [4] Incipit S[5] fragm. 8.

varet, ita ut cum eo, antequam moreretur, conveniret. Hora autem vespertina, sederunt, comederunt, * cito surrexerunt et ita ad Thmušons petendum ambulaverunt ut dimidiam noctem in itinere agerent. Statim autem ut eo pervenerunt, ingressi sunt ad fratrem aegrotantem. Et hegumenus illius loci dixit patri nostro Pachomio: « Ecce duo sunt dies ex quo aegrotat; (p. 216) illum non ausi sumus imponere et ad austrum adducere ut baptizaretur, ne forte in medio itinere in nostris manibus moreretur ». Etenim haec erat illis consuetudo ut omnes monasteriorum catechumenos tempore quadragesimae baptizandos adducerent in Phbou. Dixit ei pater noster Pachomius: « Si ergo hunc valde aegrotantem vidisti, cur hic non baptizasti »? Respondit ei hegumenus: « Hic nullus est presbyter, qui baptizet ». Dum inter se loquuntur, antequam frater redderet spiritum, aperti sunt oculi patris nostri Pachomii Theodorique; viderunt angelos ad illum venire et occulte baptizare antequam e corpore exiret.

82. Modus autem quo bonos fratres visitant splendidi angeli, prout saepissime a Domino ipsi revelatum est, hic est: si bonus est vir qui decumbit, ad eum veniunt tres angeli pro meritis decumbentis; si eximius est in actibus, mittuntur eximii et clari qui eum ad Deum deferant; (f. 187) si minimus vero in virtute, mittuntur et humiles. Sic autem Deus agit * ut illi, qui ⌜ad visitandum[1] virum veniunt, abducant eum cum perfecta longanimitate. Forsan, si ad virum in actibus minimum eximios mitteret, cum eo iuxta formam apud terrenas potestates acceptam agerent; quae quidem agunt cum personarum acceptione pro divitiis vanaque gloria: cum abiectis pauperibusque agunt pro abiectione paupertateque[2] eorum. Divinae vero potestates in omnibus agunt secundum verum iudicium iuxta praeceptum Domini et pro meritis operum illius. Tres autem angelos ad virum missos invenias gradu dispares; illi, qui praestantior est in ordine, obediunt. Quando autem in eo est vir ut spiritum tradat, unus angelus stat ad caput eius,

82. Av f. 52r; S[5] p. 151; S[4] p. 242; Am p. 461, 465. — [1] Linea sahidica omissa; nam S[4]: ⲉϭⲙⲡⲉϥϣⲓⲛⲉ. [Lacuna in S[5]]. — [2] Lege cum S[4]: ⲛⲉⲙⲧⲟⲩⲙⲉⲧϩⲏⲕⲓ.

alius ad pedes — quasi homines qui virum manibus (p. 218) ungunt, — donec e corpore exeat anima, et alius magnum linteum extendit spiritale ad animam honorifice excipiendam[3]. Ipsam vero animam viri sancti invenias specie pulchram et albam ut nivem. Postquam e corpore in linteum exivit anima, unus ex angelis duo cornua lintei apprehendit posteriora, alius anteriora, iuxta modum quo homines terrae corpus portant, et alius ante animam psallit lingua quam nemo * intelligit; nec quidem qui has visiones videbant, id est pater noster Pachomius et Theodorus, psalmodiam eorum intelligebant; audiebant tantum angelum clamantem et dicentem: « Alleluia ». Et sic in aere cum anima ad Orientem ambulabant; non autem ambulabant sicut homines pedibus ambulant, sed effluebant ambulando quasi aqua fluens; spiritus enim sunt. (f. 188) Ambulabant ad excelsa cum illa, ut videret terminos terrae ab extremo ad extremum, videret totum mundum, et glorificaret Deum qui hunc condidit; deinde etiam ostendunt ei locum eius requiei iuxta praeceptum Domini ut, locum requiei propter opera bona quae egit ingressa et de paenis quas effugit edocta, tunc magis glorificet Dominum qui eam ex his omnibus doloribus eripuit ⌜per benignitatem Domini nostri Iesu Christi[4]; postea adducunt eam ad pium virum qui eam docuit timorem Domini et eam enutrivit in mandatis Eius; et hic eam defert ad Dominum ut donum. Denique apparet anima benedicens Domino his verbis: « Benedicam te, Domine, et sanctos tuos »[5]; et postea adducitur in locum requiei sibi a Domino constitutum, pro meritis operum quae fecit. ⌜Quando advenit ut introducatur ad Dominum[6], facultas ei tribuitur accedendi et recedendi, pro meritis bonorum operum quae fecit super terram. (p. 220) Quicumque enim dignus erit vita aeterna omnino etiam cantabit * et benedicet Dominum, antequam locum requiei ⌜sibi a Domino paratum[4] ingrediatur. ⌜Et quando

[3] Codex: ⲉϧⲣⲟϥ correctum alia manu in ⲉⲣⲟϥ; sed S[5] et S[4] habent: ⲉϩⲣⲁⲓ ⲉⲣⲟϥ; ideo bohairice legendum: ⲉϧ<ⲣⲏⲓ ⲉ>ⲣⲟϥ. — [4] Omittunt Av, S[5], S[4]. — [5] Cf. S[5] et S[4]. — [6] Tres linea sahidicae omissae, uti patet ex S[5] et S[4]. Suspicor auctorem, exemplari mutilo utentem, accommodavisse textum truncum addendo ⲅⲁⲣ in praecedentibus; revera ⲅⲁⲣ deest in codd. sahidicis.

benedicunt Dominum[7] sunt quidem qui propter puritatem cordis videant Dominum et benedicant eum, dicendo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[8]. Quicumque enim in actibus suis negligens fuit[9] indignus est qui Deum in gloria divinitatis videat, quia non egit in perfecta cordis puritate; sed si sola vita dignus est, tunc videt carnem filii Dei, scilicet humanitatem eius quae est una eademque cum divinitate sine ulla divisione. Et pro dignitate singulis, qui Deo accepti mortui sunt, ad obviandum gloriose egrediuntur sancti iuxta praeceptum Domini[10]. Quibusdam obviam veniunt usque ad vitae portam, et eos osculantur. Quibusdam autem etiam procul obviam veniunt pro meritis eorum. (f. 189) Ad quosdam autem, etiam antequam surgant, accedunt et osculantur eos. Quidam vero, omnino indigni quos osculentur sancti, adeunt tantum vitae hereditatem pro meritis humilitatis suae. Iusti autem, cum egrediuntur ut illis obviam veniant[11], portant splendidas viro cui obviam veniunt coronas; quas ille certaminibus acquisivit, quibus * in terra certando diabolum vicit; praeter *coronam iustitiae quam* in die resurrectionis a Deo *iudice iusto* accipiet, sicut dixit Paulus[12]. Quando autem anima viri iusti in eo est ut ad portam vitae perveniat, Dominus in os eius ponit verba David, ut ea proferat et dicat: *Aperite portas iustitiae, ut ingrediar et manifestem Dominum*[13]. Et ipse angelus vitae ianitor respondet his verbis: *Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam*[14]. Si autem ipsa anima est cuiusdam virorum perfectorum discipuli, (p. 222) exclamant angeli comites eius cum pervenerint ad portam: *Aperite portas, ingrediatur populus servans iustitiam et servans veritatem pacemque, quia speraverunt in te Domine;* sicut scriptum est in Isaia[15].

Pater noster Pachomius magnam hanc revelationem in monasterio Thmušons vidit occasione fratris catechumeni qui oc-

[7] Duae lineae sahidicae omissae, uti patet ex S⁵ et S⁴. Denuo auctor textum truncum accommodare voluit addendo verba: « sibi a Domino paratum », quae desunt in S⁵ et S⁴. — [8] MATTH., V, 8. — [9] S⁵ et S⁴ habent: ⲉⲗⲁⲭⲓⲥⲧⲟⲥ. Desinit S⁵ fragm. 8. — [10] Pro: « iuxta praeceptum Domini », Av et S⁴ habent: « cum curribus et equis... ». — [11] Desinit S⁴ fragm. 8. — [12] II *Tim.*, IV, 8. — [13] *Psalm.* CXVII, 19; lege: ⲉϧⲟⲩⲛ ⲛ̄ϧⲏⲧⲟⲩ. — [14] *Psalm.* CXVII, 20; lege: ⲉⲣⲉⲛⲓⲑⲙⲏⲓ. — [15] Is., XXVI, 2-3.

culte priusquam moreretur baptizatus est. Et cum iustorum exitum e corpore vidisset, percontatus est etiam qualis esset exitus e corpore animae peccatoris. Et dixit ei angelus: « Dominus in omnibus tibi satisfaciet ». Si haec anima mala est in operibus suis quando visitanda est, a duobus captatur immisericordibus angelis. Quando vir * adeo proximus est morti ut homines amplius non agnoscat, alius angelus immisericors stat ad caput eius, et alius ad pedes; et sic incipiunt eum torquere, donec infelix anima in eo est ut avolet; (f. 190) postea rem recurvam hamo similem in os eius immittunt, et miseram animam e corpore eius extrahunt; et inveniunt eam nigram et valde infumatam[16]. Deinde eam alligant ad caudam equi spiritalis, — ipsa enim spiritus est, — et ita abducunt et abiciunt in tormenta, vel potius in infernum, pro meritis operum eius. Revera, multi sunt homines boni qui hos dolores patiuntur in morbo in quo visitandi sunt et in hora in qua spiritum sunt tradituri; huiusmodi enim viri sunt similes cibo cocto qui paululum, antequam comedatur, recoquendus est; sic etiam fideles in extremis, antequam perficiantur, recoquuntur, ut liberi purique in omnibus coram Domino fiant. Invenimus etiam quosdam inter sanctos doloribus affectos quando decubuerunt; sic sanctum Stephanum, martyres alios omnes et eos qui illis assimilantur. Iob etiam, David et sancti alii multi in vita sua dolores et tribulationes multas passi sunt; quidam etiam, in morte. (p. 224) Revera sunt etiam peccatores multi qui placide mortui sunt, nec in hoc mundo passi sunt, quia tribulationes et paenae ipsis servabantur, sicut scriptum est: * *Impius ad diem malum servatus est*[17]. Propterea, talem cum videret Ecclesiastes dixit: *Eadem sors eveniet iusto et impio, mundo et immundo, bono et malo*[18]. Revera vidimus Salvatorem nostrum, Dominum omnium, cruci affixum, et duos latrones, alterum a dextris et alterum a sinistris et Dominum in medio. Illa edoctus est in Thmušons pater noster Pachomius, et valde gavisus est fratrem catechumenum ingressum fuisse locum requiei sanctorum Domini. Fratre autem ad montem deducto sepultoque apud fra-

[16] ⲉⲥⲭⲏⲙ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲥⲟⲓ ⲛ̄ⲭⲁⲙⲉ. Suspicor legendum: ⲉⲥⲭⲏⲙ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲥⲟⲓ ⲛ̄ⲭⲉⲙⲥ [cf. LUC., XI, 36; II PETRI, II, 17]. — [17] *Prov.*, XVI, 4. — [18] *Eccles.*, IX, 2.

tres, celeriter ascendit in Phbou ⌜cum Theodoro, et Domino gratias egit de his quae viderat[19].

83. Factum est etiam aliquando, cum in collecta sederet, quod audiret[1] Theodorus vocem angelorum in aere psalmodiam psallentium suavem. (f. 191) Confestim surrexit, adiit patrem nostrum Pachomium et dixit ei: ⌜« Audisne hanc vocem »? Qui respondit ei[2]: « Est anima iusta e corpore egressa; cum illa supra nos transeunt; nobis etiam facta est gratia audiendi eos qui illam praecedunt Deum benedicendo ». Et, dum inter se loquuntur, aspexerunt, viderunt eum qui visitatus fuerat et noverunt quis esset. Revera saepe solebat Dominus oculos eorum aperire; et videbant angelum Dei in mensa sacrificii per manus *p. 94. * ministri, sive presbyteri sive episcopi, sacrum mysterium hominibus dignis distribuere[3]; si autem indignus impurusve aliquis ad sacra mysteria accipienda accedebat, angelus manum suam retrahebat, et sacerdos solus illi dabat.

84. Factum est etiam aliquando quod pater noster Pachomius, ipse cum alio fratre, abiret ad monasterium ut utilitati cuiusdam animae consuleret; et Theodorum iusserat fratribus attendere, donec rediret. Theodorus autem aliquando noctu surrexit et in monasterio[1] deambulavit fratribus advigilando; (p. 226) stetit in loco, et oravit. Dum autem orat, extra se raptus, vidit visionem: Ecce fratres recumbebant omnes sicut oves recubantes, et angelus in medio advigilabat[2]; viso autem angelo, Theodorus surrexit quasi obviam ei iturus; innuit ei et, priusquam ore proferret, quid percontari vellet animo eius inseruit. Respondit angelus: « Quis fratribus advigilat? tune, an ego? » Et confestim turbatus Theodorus ad locum suum reversus est dicendo: « Vere, sola species sumus; revera angeli

[19] Omittit Av.

83. Av f. 55r; S[5] p. 154; G[1] § 93; Am p. 468. — [1] Incipit S[5] fragm. 9. — [2] Forte duae lineae sahidicae omissae, puta: ϫⲉ<ⲉⲕⲥⲱⲧⲙ ⲉⲧⲉⲓⲫⲱⲛⲏ' ⲡⲉϫⲁϥ ϫⲉ>ⲟⲩϯⲩⲭⲏ...; cf. G[1] et Am. Attamen S[5] omittit haec verba. — [3] Huiusmodi visionis narratio legitur in S[16] p. 347-348, scilicet in fragmento homiliae servatae (in codice P. Morgan M 602, f. 102v et seq) sub nomine s. Athanasii.

84. Av f. 55v; S[5] p. 154; Am p. 468. — [1] S[5]: ϩⲛ̄ⲧⲥⲟⲟⲩϩⲥ. — [2] Probabilius linea sahidica omissa, siquidem Av et S[5] addunt « latere suo innixus ».

ipsi sunt custodes nobis, ⌜nobis ovibus logici gregis Christi; ipsi etiam servant nos a malis inimici laqueis »[3]. Species autem indumenti huius angeli similis erat formae militis regii: manu tenebat gladium igneum et splendissimum; indutus erat stola *non enim tunc indutus erat chlamide, sed stola[4]; (f. 192) *p. 95. orbes magni erant in stola tota splendida et pulcherrima; zona eius, valde rubra et copiose fulgurans, palmum erat lata.

85. Factum est etiam aliquando quod pater noster Pachomius Theodorum ad monasterium in Tkahšmin mitteret, ut visitaret fratres et negotii ipsis necessarii causa. Cum autem in illo monasterio sub ficu[1] oraret, procul aspexit et vidit ad octo stadia: vidit patrem nostrum Pachomium in Phbou sedere et cum fratribus verbum Dei continuum loqui; et verba quae ab eo dicebantur, audiebat etiam Theodorus. Ut autem in austrum reversus est, patri nostro Pachomio occurrit et narravit modum quo, cum oraret, ipsum in Phbou viderat verbaque quae audierat ex ore eius loquentis cum fratribus[2]. Dixit ei pater noster Pachomius: « Sermo quem audivisti, Theodore, veritas est ».

86. Cum etiam aliquando in loco solus oraret pater noster Pachomius, extra se raptus est. Ecce, dum omnes stabant fratres in collecta, Dominus in excelso throno sedebat et cum illis in parabolis sancti Evangelii loquebatur. (p. 228) Et dicta interpretationemque a proprio Domini ore prolata audiebat in visione quam in illo die vidit. Et abhinc, quando verbum Dei cum fratribus locuturus erat pater noster Pachomius, in loco stabat * in quo Dominum sedentem et loquentem cum fratribus *p. 96. viderat. Factum est etiam, quando loquebatur et proferebat illis dicta interpretationemque quae a Domino audierat, quod fulgor magnus fieret in verbis eius ⌜lumine fulgurantibus; ita ut fratres omnes timerent propter verba, ex ore patris nostri Pachomii emissa, similia *fulguri coruscanti*[1].

[3] Omittunt Av et S[5]. — [4] S[5]: « sed stola, qua induebatur, erat ad modum paragaudis ».

85. Av f. 56r; S[5] p. 155; Am p. 469. — [1] Cf. *Epist. Amm.*, p. 98, *5* et 100, *2*. — [2] Locus mendosus; cum Av et S[5] restitue: ⲉⲧⲁⲙⲟϥ ⲉⲡⲓⲣⲏϯ ⲉⲧⲁϥⲛⲁⲩ ⲉⲣⲟϥ ⲧⲏⲣϥ ϧⲉⲛⲫⲃⲱⲟⲩ ⲉϥϣⲗⲏⲗ ⲛⲉⲙⲛⲓϩⲣⲏⲧⲟⲛ ...

86. Av f. 56v; S[5] p. 157; Am p. 469. — [1] Cf. *Psalm.* XCVI, 4. Suspicor

87. Factum est etiam aliquando, cum in loco operaretur Theodorus cum fratribus, quod, absoluto opere, panem ad vesperum comederent; cum multi inter eos panem comedere non solerent, paululum pulmenti illis coxerant. Erat autem quidam inter eos, nomine Pataoli[1], iuvenis corpore rubustus quocum luctabantur affectus iuveniles. (f. 193) Cum huic in animo esset quid parvi pulmenti comedere, confestim spiritus Dei excitavit eum: « Hic cibus coctus est quibus opus est; tibi vero non opus est, quia carnis sensus tecum luctatur ». Ille autem consilio in se a Domino excitato non paruit, sed abiit comedit et accepit etiam ollam oeconomi ut ex ea comederet. Ut autem edendi finem fecerunt, casam ex more fratres ingressi sunt, ut verba Dei ⌈a Theodoro[2] dicta audirent; et interrogabant eum ut ipsis diceret quo quisque indigeret. Quibusdam obiciebat: « Vos estis pusillanimes ». Aliis autem: « Vos proni *estis ad iram ». Aliis autem: « Ore duro loquimini; et etiam quemdam inter vos video, cuius spes est in olla ». Confestim novit frater ille de se dictum esse aenigma, et statim in medio fratrum procidit dicendo: « Orate pro me, quia conscientiam meam scienter contempsi; (p. 230) quoniam motui bono cordis mei non parui, Dominus increpavit me publice ».

* p. 97.

88. Factum est etiam aliquando quod, iussu Domini, adduceretur pater noster Pachomius ad videndas paenas suppliciaque quibus torquerentur filii hominum; *sive in corpore, sive extra*

librarium denuo retractavisse locum mutilum. S[5] sic sonat: « ... verbis eius ita ut fratres omnes quasi viri vino madentes fierent, prout scriptum est: *laetabitur cor eorum quasi a vino* (ZACHAR., X, 7); et videbant verba ex ore eius egredientia, quasi aves aureas argenteasque et lapides pretiosos volantes furtim supra fratres et ingredientes multorum aures qui bene auscultabant. Quae cum videret pater noster Pachomius, recordatus est verbi quod Salvator noster dixit in Evangelio: *verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (IOHAN., VI, 63 ». Eadem fere etiam Av.

87. Av f. 57r; S[5] p. 157; Am p. 471. — [1] ⲡⲁⲧⲁⲟⲗⲓ = Am بادولا; S[5] vero recte: ⲡⲁⲧⲗⲟⲗⲉ cum Av بادلولا (sup. lin. ⲡⲁⲧⲗⲟⲗⲉ); et *Epist. Amm.* habet p. 98, *34*: Πατελλολί. — [2] Lege: ⲉⲛⲓⲥⲁϫⲓ ⲛ̄ⲧⲉⲫϯ <ⲉⲧⲉ ⲑⲉⲟⲇⲱⲣⲟⲥ> ϫⲱ ⲙ̄ⲙⲱⲟⲩ <ⲉⲣⲱⲟⲩ>; cf. S[5] et Am. — [2] In Av prius scriptum fuit « Pachomius », sed hac voce deleta, superscriptum est « Theodorus ».

88. Av f. 57v; S[5] p. 158-162; S[4] p. 248; S[2] p. 19; Am p. 542, 548.

corpus raptus sit[1], *Deus scit* eum *raptum esse*[2]. Cum autem longe ab hoc mundo et stereomate adductus esset ad septentrionem paradisi laetitiae, vidit flumina et rivulos et fossas ignis plena in quibus torquebantur animae peccatorum. Et, dum ambulat cum angelo et inspicit tormenta, vidit eos, ad quos pervenerat, magis afflictos quam priores quos viderat; eis praepositi erant angeli, cum flagello igneo in manibus, tortores specie valde terribiles. Si quaedam cruciatae animae caput ex igne erigebant, verberantur et in igne magis immergebantur. (f. 194) *Suspirabant vehementer, nec valebant voce clamare prae imbecillitate et modo quo copiosis patiebantur tormentis. Et numerus animarum cruciatarum computari non poterat; sed erant numerosissimae. Vidit etiam puteos et fossas ignis plenas quarum ignis conflagrando augebatur. Cum autem despiceret, vidit animas; et ecce: in singulis fossis una erat anima, cuius pes alter ex una parte fossae et alter ex altera parte, in forma corporea quam gessit in mundo; singula membra, in quibus in mundo pollutae sunt, igne consumebantur. Cum autem cuidam fossae attenderet, agnovit eum qui in ea torquebatur; unus enim erat ex illis qui in mundo designantur et in Scripturis vocantur nomine « molles »[3]. Vidit etiam monachos tormentis huius loci cruciatos, et interrogavit angelum comitem: « Quid etiam isti egerunt malum, ut hic adducerentur »? (p. 232) Dixit ei angelus: « Isti, quos vides, corpore quidem omnino puri sunt, sed otiosi per loca fratrum anachoretarum pervagati sunt; apud sodales obtrectabant eis quos animo discordes sciebant, rati *obtrectationibus adeo amorem sibi conciliaturos ut alerentur ⌈et potarentur[4]; quibus sodalibus relictis, alio abibant, et quos prius laudaverant vilipendebant apud eos quibus antea obtrectaverant, ut etiam ab eis lepide exciperentur[5]. Prae suis igitur obtrectationibus proiecti sunt in

* p. 98.

* p. 99.

[1] Av et S[5] addunt: « sicuti antea diximus ». — [2] Cf. II *Cor.*, XII, 3. — [3] Cf. I *Cor.*, VI, 10. — [4] Pró: « et potarentur », Av et S[5]: « et gratuito ab eis pascerentur ». — [5] Hic sane agitur de monachis gyrovagis quos Hieronymus vocat remnouoth (ⲣⲉⲙⲛ̄ⲟⲩⲱⲧ): « Apud hos affectata sunt omnia: laxae manicae, calligae follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detrectatio clericorum, et si quando festior dies venerit, saturantur ad vomitum » (*Epist.* XXII, 34-36); cf. CASSIAN., *Conl.*, XVII, 4.

illa tormenta intolleranda et indeficientia ». Angeli autem tortores multum gaudebant et laetabantur, sicut gaudet procurator cum substantiam domini sui augeri videt. Ita etiam gaudebant angeli, quia ideo creati sunt a Domino immisericordes ne ⌜hominum traditorum sibi cruciandorum[6] misereantur. (f. 195) Et irascuntur et eas acerbis tormentis magis cruciant. Cum autem aliae adducuntur animae sibique traduntur, laetantur, sicut qui magnum lucrum retulit, et gaudent ruina impiorum. Pater autem noster Pachomius inspiciebat tormenta cum angelis comitibus; deinde unus ex angelis tortoribus traxit eum gaudens et dicens: « Veni, Pachomi, doceam te et haec mala tormenta ». Pater autem noster Pachomius, cum se videret[7] ab angelo laete trahi ad omnia tormenta inspicienda, miratus est naturam angelorum immisericordium, quomodo talibus * malis tormentis gauderent. Pater autem noster Pachomius valde contristabatur cum videret dolores quos patiebantur miserae animae impiorum qui cruciabantur. Et paululum etiam progressus vidit innumerabilem multitudinem animarum omnis aetatis, quas tumultuose compellebant angeli tortores et immisericordes; (p. 234) et cum angelum comitem de his etiam interrogasset, respondit angelus: « Animae sunt peccatorum qui hodie in toto mundo mortui sunt »; et in singula tormenta pro meritis dispertiebantur. Et cum ad occidentem etiam venisset cum angelo comitante et tormenta monstrante, vidit deorsum os aditus inferni. Infernum autem altissimum est, tenebrosum et fervidum sicut ignis; carcer enim Domini est locus ille. Et cum adducuntur homines et illuc deiciuntur, exclamant magno clamore: « Vae mihi! quia non novi Deum qui me creaverat ut salvarer »; deinde omnino non possunt amplius loqui prae calore obscuritateque loci; et alter alterum non agnoscit propter tenebras angustiasque quibus afficiuntur. Et cum ad australem etiam partem occidentis ambularet, ibi vidit alia mala tormenta similia his quae prius ad aquilonem viderat, quibus animae

* p. 100.

[6] Denuo, desinente pagina, videtur textus mutilus retractatus; nam Av et S[5]: « ... ne animarum impiorum omnino misereantur, sicut scriptum est: *animae impii miserebitur nemo ex his qui vident eam;* et iterum: *omnes mali suscitant iurgia, et Deus mittet eis Angelum immisericordem* » (*Prov.*, XXI, 10, et XVII, 11). — [7] Desinit S[5] fragm. 9.

cruciabantur[8]. (f. 196) * Ostenderunt etiam ei quasi magnam domum lapideam immensae longitudinis et latitudinis et altitudinis; haec domus erat plena ignis in quem iniciuntur omnes iuvenes qui in mundo corpora inscientibus parentibus impuritate inquinaverunt; quare in acerbis illis tormentis excipiuntur pro malis impurisque iniuriis coram Deo et hominibus admissis. Factum est autem, cum iam tum angelus, iussu Domini, omnes paenas atque dolores ⌜eorum[9] qui sunt in tormentis monstrasset, quod patri nostro Pachomio enixe mandaret his verbis: « Pachomi, omnia quae[10] vidisti fratribus testificare, ut contendant in talia tormenta mala non incidere; Deus enim ad te me misit, ut illa omnia tibi monstrarem et tu fratribus ⌜totique mundo[11] testareris [ad paenitentiam agendam et ad salvandum »[11]. Pater autem noster Pachomius deinceps, si fratres catechizandos congregabat, prius de Scripturis loquebatur, — sunt enim necessariae divinoque spiritu afflatae — (p. 236) deinde eos monebat de omnibus tormentis et doloribus inclusis quae viderat et de quibus praeceptum a Domino acceperat per angelum; ut Deum timerent, et[12] caverent ne peccarent et inicerentur in talia tormenta paenasque quas viderat.

* p. 101.

89. Revera patris nostri Pachomii fama et benignitas ad omnes pervenit, ita ut audirent nomen eius exterae nationes et Romani venirent et apud eum fierent monachi. Ipse autem vir Dei Pachomius eos, *sicut * nutrix fovens pullos suos*[1], enutriebat bene ⌜in omni verbo et doctrina[2]. Et quidam nomine Theodorus, iuvenis alexandrinus, viginti septem[3] annos natus, gentilis, a parentibus in modestia servatus, motus est a spiritu Dei ad christianam religionem amplectendam. Hic constituit in corde suo: « Si Dominus viam meam ita direxerit ut christianus fiam, tunc vitam monachorum agam et corpus meum imma-

* p. 102.

[8] Av addit: « ita ut tormenta illa numerari non posset ». — [9] Lege: <ⲛ̄ⲛⲉ>ⲧⲛ̄ϩⲏⲧⲟⲩ. — [10] Incipit S[5] fragm. 10. — [11] Omittunt Av et S[5]. — [12] Incipit S[4] fragm. 9.

89. Av f. 59[v]; S[5] p. 162; S[4] p. 248; S[3a] p. 255; G[1] §§ 94, 95; Am p. 473; *Epist. Amm.* § 4. — [1] Cf. I *Thess.*, II, 7. — [2] Omittunt Av, S[5], S[4]. — [3] Av, S[5], S[4]: « septemdecim »; Am: « duodecim ».

culatum servabo usque ad diem quo visitabit me Dominus ». (f. 197) Paucis post diebus adiit abbatem Athanasium archiepiscopum et omnia quae erant in corde suo ei aperuit. Hic confestim eum baptizavit, lectorem instituit et habitationem in ecclesia ei disposuit. Ibi Theodorus exercebatur et omnino nulli obviam ibat mulieri, exceptis matre sororeque solis; et quando legebat in ecclesia, nitebatur populum oculis non aspicere, timens sententiam Evangeliorum: « *Qui*[4] *aspexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo*[5]; et iterum: « *Averte oculos meos ne videant vanitatem* »[6]. Et pro viribus multum exercitabatur, prout proximus fonti aquae dulcis, abbati Athanasio ⌜archiepiscopo et apostolico[7]. Postquam duodecim annos in ecclesia Alexandrina lector egerat, * p. 103. animadvertebat in ecclesia sodales suos, ⌜scilicet clericos, * contentionibus, vanae gloriae[7], epulis multis ⌜superbiaeque[7] deditos[8]; (p. 238) quos cum tales videret Theodorus, ad Deum suspiravit cum orationibus et lacrimis his verbis: « Domine, ostende mihi virum sanctam voluntatem tuam exercitantem, et ego eum adibo ut te bene noscam per hunc tuum servum ». Cum loqueretur et in corde suo hac de causa oraret, audivit quosdam monachos laudantes communitatem quam Deus per patrem nostrum Pachomium prae benignitate eius fundavit. His autem auditis, Theodorus Deum rogavit his verbis: « Oro te, Domine ⌜Iesu Christe[9], me dignum facere qui videam servum sanctum tuum hunc, ⌜benedictionem eius accipiam et apud eum maneam »[9]. Factum est autem postea quod fratres cum navicula in Alexandriam mitteret pater noster Pachomius ad visitandum archiepiscopum et ad emenda fratribus aegris pauca necessaria. Theodorus autem, visis in ecclesia fratribus loquentibus cum archiepiscopo qui de patre eorum interrogabat, gavisus est[10]; (f. 198) illos adiit et per interpretem locutus est cum illis: « Velim vobiscum ad austrum abire, patrem vestrum virum Dei videre ⌜et eius benedictionem accipere »[9]. Ipsi

[4] Incipit S³ᵃ fragm. 1. — [5] MATTH., v, 28. — [6] *Psalm.* CXVIII, 37. — [7] Omittunt Av, S⁵, S⁴. — [8] Desinit S⁵ fragm. 10. — [9] Omittunt Av, S⁴, S³ᵃ. — [10] Av et S⁴ addunt: « considerando humilitatem, formam propositumque eorum ».

autem dixerunt ei: « Te non possumus nobiscum assumere propter parentes tuos et propter archiepiscopum ». Confestim ab archiepiscopo licentiam accepit[11] cum illis abeundi; et ubi pervenit in austrum ad patrem nostrum Pachomium, * osculatus est eum osculo pacis. * p. 104. Pater autem noster Pachomius excepit eum cum gaudio, quia humilem videbat et maxime quia de eo sibi archiepiscopus scripserat ut eum laete exciperet. Tunc confestim posuit illum in domo in qua senior antiquus linguae graecae peritus habitabat, et qui cum illo colloqueretur et illum solaretur. Theodorus autem optime proficiebat et ambulabat in omnibus operibus bonis et in legibus fratrum. Pater noster Pachomius per interpretem interrogavit illum aliquando de fide ascesibusque anachoretarum in Alexandria. (p. 240) Et respondit ei: « Per sanctas preces tuas, domine pater, bene confortantur in orthodoxa fide sanctae Ecclesiae catholicae Christi; nemo enim est qui illos amovere possit, cum adimpleant verbum scriptum: *stabiles estote, nec de fide moveamini*[12]; multis etiam bonisque in mensa cibis utuntur, edunt et bibunt bene, agendo secundum quod scriptum est: *quae Deus praeparavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus*[13] ». Et dixit pater noster Pachomius: « Possuntne immoderate bibere et edere, et sic etiam puritatem portare »? Respondit Theodorus: « Illorum puritas in omnibus est immensa, et scientia coram omnibus excelsa valde ». Pater autem noster Pachomius * parvo * p. 105. baculo, quod tunc in manu tenebat, bis terram percussit dicendo: (f. 199) « Si irrigata et stercorata fuerit haec terra, nonne gignet herbas? sic etiam corpus, si cibis potu commodisque plurimis delectaveris, puritatem servare non poterit; dicit enim sacra Scriptura: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* »[14]. Quae autem cum audiret Theodorus, dubius haesit. Paulo post ad Alexandriam ex more abierunt fratres; et, ubi reversi sunt, interrogavit eos Theodorus de fratribus vitam anachoreticam ibi agentibus, quomodo etiam tunc essent. Tum narraverunt quosdam ex illis in impuritate deprehensos esse, quosdam malam prae corruptione

[11] Desinit S⁴ fragm. 9. — [12] I *Cor.*, xv, 58. — [13] I *Tim.*, iv, 3. — [14] *Galat.*, v, 24.

famam apud saeculares consecutos esse. Quae cum audiisset Theodorus, miratus est verba quae a patre nostro Pachomio audierat quando similitudine terrae et monachorum bene victitantium usus est; (p. 232) confestim surrexit Theodorus, proiecit se in faciem et osculatus est pedes patris nostri Pachomii, miratus magnam eius scientiam divinam: quomodo praedixisset edaces et potatores non posse puritatem excolere; et ita magis exercitatus est propter firma verba quae audierat a viro Dei patre nostro Pachomio. Pater autem noster Pachomius, cum videret * Theodorum in scientia divina proficere, constituit eum domus-praefectum alienigenis qui ad se veniebant ad vitam monachorum agendam; et festinavit linguam graecam discere pater noster Pachomius ut illos Scripturis saepissime hortaretur et Theodorum doceret quomodo fratres ei subditos regeret.

* p. 106.

90. Locutus est autem aliquando cum eo seorsum et dixit ei: « Res magni momenti haec: si videris in domo tua aliquem salutis suae incuriosum, et neglexeris, nec docueris salutem et salvationem animae eius! (f. 200) Si quandoque iratus fuerit ille, donec illum excitaverit Dominus sustinebis; sicut is qui spinam in pede alicuius infixam vult evellere: si illam evellerit et fluxerit sanguis, allevabitur vir; at si illam evellere non poterit [1], et ipsa magis infixa fuerit, medicamentum imponet; et ita facile a seipsa exibit spina per viri tolerantiam, et sanabitur vir. Sic etiam vir iracundus, si ⌈non contradicatur [2] a magistro suo sed patienter sufferatur, multum proficiet. Si autem magna est culpa, certiorem me fac, et prout mentem nobis iniecerit Deus, agemus; et aegrotantibus magis attende quam tibi ipsi; sis semper moderatus et ambula cum cruce tua [3] * melius quam illi, siquidem habes paternitatis dignitatem; sis etiam bono exemplo et consilio fratribus ad omnia; (p. 244) si rem decidere vis nec explicare potes, moneas me, et gratia divina simul eam aggrediemur donec definitionem inveniamus et exsequamur ».

* p. 107.

90. Av f. 62r; G¹ § 95. — [1] Lege: ⲁϥϣ<ⲁⲛϣ>ⲧⲉⲙϫⲟⲙϫⲉⲙ, haplographia. Cf. ephem. *Orientalia*, (1935) IV p. 188, col. *b*, l. 6-12. — [2] Locus obscurus; suspicor: ⲁⲩϣⲁⲛ<ϣⲧⲉⲙ>ⲟⲩⲱϩⲙ ; negationem habet G¹: μὴ ἀντιλεγόμενος. — [3] Cf. MATTH., x, 38.

91. Theodorus autem aliquando patrem nostrum Pachomium interrogavit de abbate Cornelio: « De eo audio ipsum in collecta ita mente castigatum esse ut nullam rem vanam cogitet donec collectam perficiat; ego vero pluries probavi, et inter multas preces vix in tribus vitavi cogitationes quae multiformes in mente mea mecum pugnant ». Et dixit ei pater noster Pachomius: « Theodore, ego per parabolam hac de re cor tuum suadebo, ut magis conforteris. Si nunc servus videt libertum quamquam pauperem, tamen cupit et ipse eadem ac sodalis libertate frui; similiter si pauper videt ducem, cupit et ipse ducatum; et iterum si dux videt regem, cupit et ipse sicut et ille rex esse. (f. 201) Sic etiam de Cornelio: certavit dum divina gratia in omnibus operibus bonis adiuvante sibi fructus omnes Spiritus sancti acquisivit; tu quoque, Theodore, formam eius bonam aemulare, gratias Domino semper age, mandata eius ex toto corde serva, et amplius non cades ». Theodorus autem *, his verbis parabolisque patris nostri Pachomii auditis, miratus est divinam eius scientiam magnam. Et patientia intelligentiaque linguam edicit aegyptiacam; et, cum pater noster Pachomius verbum Dei cum fratribus locuturus erat, attendebat (et perficiens) [1] his quae a patre nostro Pachomio audiebat Theodorus; et in domum suam reversus illa narrabat lingua graeca his quibus erat domus-praefectus; quos fovebat, *tanquam nutrix fovens filios suos* [2], vividis patris nostri Pachomii verbis; et ea verba docebat illos et iubebat exsequi et omnino servare in cordibus eorum. (p. 246) Hi sunt fructus primogeniti proventus in domo eius: ex alexandrinis, Ausonius maior, Ausonius alter, et alius nomine Neon; e romanis, Firmus, Romullus et Domnius armenius. Ipse autem Theodorus urbanus per tredecim [3] annos fuit domus-praefectus usque ad mortem patris nostri Pachomii; et fratribus interpretabatur omnia verba doctrinae quae ab illo audiebat; et eodem modo egit temporibus abbatis Horsiesii, donec visitatus est a Deo [4].

* p. 108.

91. Av f. 62v; G¹ §§ 111, 95b; Am p. 640. — [1] Locus contortus; haec videntur glossema. Cf. Av et G¹ (etiam G³ p. 352, a quo pendet Am p. 640); *Epist. Amm.* p. 98, *7*, 111, *9-11*, 115, *19-21*. — [2] Cf. I *Thess.*, II, 7. — [3] Probabilius legendum: ⲁϥⲉⲣⲓ̄ⲅ̄ cum Av, G¹ et G³. — [4] Cf. *Epist. Amm.* § 7.

92. Erant autem in Phbou decem antiqui fratres multum exercitantes et corpore puri, sed saepe de patre nostro Pachomio querebantur * propter verba quae ipsis dicebat ad valetudinem salutemque animarum suarum. Ipse autem vir Dei Pachomius propter eos incumbebat vigiliis ieiuniis et precibus ad Dominum ut resipiscerent et sanarentur ab omnibus erroribus eorum. Et vicissim mortui sunt in pace Dei, amen.

93. (f. 202) Quidam autem etiam inter fratres aliquando mortuus est. Pater noster Pachomius non[1] permisit eis psallere et benedicere illi; immo etiam vestes et schema illius in medio fratrum ad se congregatorum combussit, eos terrore complens, ut animas suas non contemnerent. Quomodo autem usque ad mortem hunc in tanto peccato degentem sustinuerit, nescimus; hoc vero scimus: viros Dei nihil agere inutile; sed severitas et comitas eorum nititur scientia perfecta et Domino Iesu grata.

94. Factum est etiam aliquando quod ita aegrotaret pater noster Pachomius ut ad mortem pateretur. Tunc ad Theodorum convenerunt coetus patrum et fratrum in Phbou omnium, et locuti sunt his verbis: « Si patrem nostrum visitaverit Dominus, confitere nobis te praesessurum et eius loco patrem nostrum fore, ne miseri dispergamur * sicut oves quae non habeant pastorem; etenim nemo est inter nos qui noscat virtutes eius sicut tu ». (p. 248) Theodorus autem nullum omnino verbum respondit, quia prae sua magna humilitate non cupiebat principatum obtinere nec vanam huius mundi gloriam. Iterum coeperunt eum rogare, donec assentiretur. Patrem autem nostrum Pachomium non latuit quomodo inter se consilium inivissent; et paululum a morbo allevatus, locutus est cum eis his verbis: « Quisque vestrum dicat in quo defecerit! ego saepe negligens fui in visitandis fratribus ». Theodorus vero respondit: « Ecce septem annos adiutor tuus[1] sum, et saepe in monasteria ad visitandos fratres a te mittor, et in omnibus impero sicut et tu; et nunquam in mente habui fore ut ego post te pater illorum fie-

92. Av f. 63r; G¹ § 100; Am p. 495; (cf. infra § 102).
93. Av f. 63v; G¹ § 103. — ¹ Lege: <ⲙ̄ⲡⲉ>ⲡⲉⲛⲓⲱⲧ.
94. Av f. 63v; § 106; Am p. 578, 583 (cf. p. 592-594). — ¹ Corrige: ϯϩⲁⲣⲁⲧⲕ.

rem; tandem rogantibus hac de re fratribus assensus sum; si autem negavero et dixero me non illis assensum fuisse, mendax coram te fiam omnibus diebus vitae meae, (f. 203) et adimplebitur in me verbum scriptum: *perdet Dominus omnes qui loquuntur mendacium* »[2]. Respondit pater noster Pachomius et dixit Theodoro coram omnibus fratribus: « Ecce dico tibi: iamnunc nulla est tibi potestas in ullo * omnino fratrum opere; sed adi locum seclusum et roga Dominum donec tibi ignoscat id quo assensus sis ». Theodorus vero locum seclusum adiit, perdiu ieiunavit et flevit ad Dominum die ac nocte cum multis lacrimis et suspiriis; non flebat quidem, quia exclusus a munere, sed propter malum consilium cui locum in se dederat. Et cum frater quidam videret eum in multas lacrimas effundi et valde contristari[3], in se reputavit: « nonne forte prae tristitia secedet a fratribus et abibit »? et si Theodorus necessitatis causa e loco secluso nocte exibat, frater sequebatur eum quasi observaret utrum alio abiret. (p. 250) Theodorus autem nunquam in mente habuit a fratribus secedere; et ubi in locum suum seclusum se receperat Theodorus, tunc pro fratre orabat ad Dominum his verbis: « Domine Deus patris mei Pachomii, alleva hunc fratrem ab illa mala mente de me qua reputavit me forsan derelicturum fratres propter parvam exprobrationem patris mei; ne mihi ita eveniat »! Postea, cum ad collectam pulsatum est, venit Theodorus in medium fratrum in collectam, stetit in medio et dixit: « Orate pro me, ut Dominus meus Iesus Christus mihi ignoscat, * quia *inebriatus sum de vino abominationis*[4] quod insciens bibi ». Quae ~~cum~~ dixisset, proiecit se in faciem et flevit; et visis multis eius lacrimis, in multas etiam cum eo lacrimas effusi sunt omnes fratres. Et, finita paenitentia, reversus in suum locum seclusum coepit denuo flere et lugere ad Dominum die ac nocte secundum mandatum patris nostri Pachomii. (f. 204) Revera fratres multi, cum transibant praeter locum eius seclusum, audiebant eum flentem, et ipsi multum deflebant propter eum. Multi etiam ex antiquis fratribus eum adibant et consolabantur dicendo: « Moeresne forsan et fles quia pater noster privavit te munere quo fungebaris »? Ipse

² *Psalm.* v, 7. — ³ Corrige: ⲛ̄ϩⲏⲧ. — ⁴ Cf. *Apocal.*, xvii, 2.

autem neminem illorum laudabat[5], quia secum carnalia verba locuti sunt; sed magna cum humilitate dicebat illis: « Non fleo ob eam causam quam vobis subiecit diabolus; sed propter peccatum a me admissum coram Domino ». Et illi, reputantes eum sic solaturos, patrem nostrum Pachomium coram eo carpere coeperunt dicendo: « Quantum admisisti peccatum, ut ita tecum ageret pater noster! nonne manifestum est te successorem eius fore? quare nunc igitur tuo munere te privavit »? Theodorus vero, his auditis, prae magna sua humilitate factus est quasi mactatus: quid profecto apud se virum Dei reprehendunt! (p. 252) Et Theodorus fratres suadebat * dicendo: « Ne putetis patrem nostrum sic mecum egisse praeter meum meritum; minime; sed quidquid mecum egit, ad salutem animae meae egit, ut Domino dignus fierem ». Et cum horum cor magna humilitate suasisset, recesserunt ab eo Deum in eo habitantem laudantes multumque in verbis eius profectum consecuti. Postea alius frater pius et asceta, nomine Titue, adiit, et ipse, Theodorum et consolatus est his verbis: « Ne moereas, o Theodore, de his quae tecum egit pater noster; etenim, scit Deus, si in ea perseveraveris humilitate, gratias Domino in hoc quod tibi accidit agendo, beatus et tu eris sicut olim iustus Iob »; et multa consolatoria verba ei dixit; quae cum[6] dixisset, recessit ab eo et in domum suam reversus est. Theodorus vero in verbis Titue lucrum fecit et ea, ut a Domino facta, reputavit; confestim surrexit, oravit[7] et accepit librum apud se repositum; quem cum aperuisset, invenit hunc locum in eo scriptum: (f. 205) « *Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit; et diruta eius reaedificabo, et ea qua corruerant instaurabo* et reliqua[8]. Et confestim Theodorus recreatus est modo quo a Domino excitatus est per prophetam. Aliquis e fratribus, qui se clarum existimabat, adeo perverse auctore diabolo sensit ut recogitaret sic: * « Num pater noster Pachomius removeret Theodorum si nullum admisisset peccatum! profecto quia deprehendit eum

[5] ⲧⲁⲓⲉϩⲙⲓ videtur lapsus; lege cum Av: ⲧⲁⲩⲉϩⲙⲓ « nihil proferebat »; vel, e sahidico perperam lecto: ⲧⲟⲩⲙⲉ « neminem redarguebat ». — [6] Fuit probabilius sahidice: ⲛⲁⲓ̈ ⲇⲉ ⲛ̄ⲧⲉⲣⲉϥϫⲟⲟⲩ. — [7] Perperam ⲁⲩⲧⲱⲟⲩⲛ ⲁⲩϣⲗⲏⲗ, pro ⲁϥⲧⲱⲟⲩⲛ ⲁϥϣⲗⲏⲗ. — [8] *Act.*, xv, 16; Amos, ix, 11.

in opere malo, propterea removit eum »! Tunc frater a Satana obsessus Theodorum adiit et tentavit his verbis: « Verumne est verbum quod a patre nostro Pachomio de te audivi? audivi enim eum dicentem: non hac de causa sola removi illum, sed quia in immunditia deprehendi illum ». Ut ea verba audivit Theodorus confestim flevit et cum dolore suspiravit (p. 254), et recogitavit his verbis: « Si dixero me nullam huiusmodi rem egisse, patrem nostrum faciam mendacem, prout frater affirmat: audivi patrem nostrum proferentem hoc verbum; verumtamen non est aequum ei dicere: verbum quod dixisti est verum; nisi inde fiam mendax; nam ex quo natus sum nullam huiusmodi rem egi ». Et iterum perdiu flevit neque ullum verbum illi respondit. Ille autem, ut vidit eum perdiu flere neque ullum verbum respondere, surrexit et pudore suffusus ab eo exivit. Et confestim surrexit Theodorus et oravit his verbis: « Confundam te, diabole, qui hanc malam opinionem subiecisti huic fratri meo dilectissimo; impulisti enim eum ad illa dicenda, quia vis a me auferre amorem erga virum Dei, qui salvat me a malis et omnimodo dolo plenis laqueis tuis ». Tunc surrexit, abiit in locum in quo versabatur pater noster Pachomius; accessit ad eum * a tergo, (f. 206) et, capite eius arrepto, osculatus est illud pluries. Hic autem nescivit quis esset et dixit circumstantibus: « Quis osculatus est caput meum »? Illi responderunt; « Theodorus est ». Et confestim vocavit eum: « Theodore, accede et sedeas ». Theodorus autem dixit : « *Quem quaesivi, inveni*[9], o pater ». Et ita ab eo exivit et reversus est ad locum suum seclusum; neminem certiorem fecit qua de causa caput patris nostri osculatus esset, et nemo eum interrogavit cur ita egisset.

95. Cum in expiatione degeret Theodorus, dictum est patri nostro Pachomio in visione: « Propera mittere Theodorum ad monasterium in viciniis; sic solatium et requies fient ei ». Pater noster Pachomius vocavit eum et locutus est his verbis: « Theodore, propera abire ad monasterium Thmušons, et percontare quomodo fratres se habeant ». Et confestim cum magna humilitate ab eo exivit et abiit sicut iussus est. (p. 256) Et cum

[9] Cf. *Cant.*, III, 2.

95. Av f. 66v; G¹ §§ 107, 108; Am p. 579.

ad Šeneset pervenisset, sedit ad ripam fluminis expectans nautam ad transeundum in occidentem; et dum sedet, advenerunt quoque duo angeli sub specie seniorum monachorum, et iuxta Theodorum sederunt. Et alter angelus coepit Theodorum benedicere et laudare: « Beatus es, fili mi Theodore, quia ad Deum confugisti et mundum vanasque eius curas abnegasti »! *p. 116. Respondit * alter quasi iratus: « Cessa recitare omnes has laudes huic misero; nondum enim attigit mensuram laudum quas ei recitas; sed cum videris eum attingere mensuram viri ‘ corbis ’[1] omni laude et benedictione spiritali extolles eum; revera merebitur illas ». Et dixit angelus angelo suo socio, ambobus sub specie seniorum monachorum cum Theodoro sedentibus: « Quanta est mensura huius corbis quam tanto laudibus extollis, prout de ipsa loqueris ? nunc igitur doce me, nam maior me es ». Respondit ei sodalis: « Mihi ausculta, et tibi narrabo sicut ipse ab aliis audivi. (f. 207) Narraverunt enim de quodam agricola: erat vir difficilis in labore suo et in omni re; et quivis operarius ad operam ei praebendam conductus, qui maiorem anni partem laboraverat, immo quidam[2] et annum fere integrum perfecerant, ab eo aufugerant ne cum eo laborarent; nam agricola eos male habebat, donec abirent. Postea aliquis consilium fortiter inivit his verbis: « Quoniam nemo est qui unum annum integrum laborare possit cum illo agricola utpote malo, ego vero abibo et cum illo, ita ut totum annum perficiam, laborabo et ad omnia quae mandaverit me conformabo donec laborem eius noverim ». Dein surrexit, agricolam *p. 117. adiit et dixit ei: * « Volo hunc annum tecum laborare ». Et agricola respondit viro: « Gaudeo, et concedo ut aliquis mecum laboret, modo consentiat mecum in labore meo ». Et vir cum eo laboravit summa patientia. Et ubi pervenerunt ad tempus laborandi in agro, agricola dixit viro: (p. 258) « Ecce nobis in agro laborandum est; nunquam coniungo[3] ad irrigandum agrum

[1] G[1]: τὸ μέτρον τοῦ μαργωνίου; Av et Am: مرجونة « corbis »; cf. Am p. 378 l. 2: المرجين = G[3] p. 227 l. 24 τὰ σπυριδάλια. — [2] Linea sahidica omissa: <ϩⲟⲉⲓⲛⲉ ⲇⲉ ⲉⲩⲣϩⲱⲃ> ϩⲱⲥⲧⲉ; cf. Av. — [3] -ⲙⲉϩⲛϩⲁⲓ ⲛ̄ϩⲁⲛⲏⲓ. Hic locus est crux. Av et Am habent: «versare rotam aquariam » (ساقية); G[1] p. 70, *32*: ὑδραγωγήσωμεν. Cf. W. E. Crum *Copt. Dict.*

interdiu, sed noctu ». Dixit ei vir: « Bene; magnam cautionem adhibuisti; etenim, si de die non irrigaverimus, neque aves neque pecora aquam in canali nostro bibent, sed aqua servabitur tota et tranquille agrum nostrum pervadet ». Ubi autem tempus arandi advenit, dixit ei agricola: « Seramus sulcum frumento, alium lentibus, alium hordeo; et eodem modo ceteris seminibus agrum seramus ». Dixit ei vir: « Haec scientia maior est priore; etenim, si ita egerimus, pulchritudine florum omnium ager noster amoenissimus erit ». Et postquam semen in agro sparsum germinavit, herbescente adhuc et nondum maturescente[4] agro, dixit agricola viro: « Surge, eamus ad agrum nostrum metendum; nam prodest eum metere ». Dixit iterum ei vir summa patientia: « O haec tua magna et immensa scientia! si egerimus sicut in corde tuo dixisti, (f. 208) et si revera agrum nostrum priusquam tostus sit messuerimus, nulla ex eo spica in terram cadet, * sed servabuntur omnes ». Et ubi finem meten- *p. 118. di fecerunt, spicas in area triverunt; et nihil erat in area nisi palea sola. Dixit agricola viro: « Afferamus corbem, qua paleam metamur et reponamus in loco proprio ut eam iterum inveniamus ad tempus in quo nobis in labore nostro opus sit ». Dixit vir iterum agricolae: « Haec cautio multo maior est omnibus prioribus quas excogitasti; si enim studiose haec egerimus, servabitur palea in horreis nostris ». Et cum probasset eum in his omnibus, et vidisset eum non esse *timidum* nec *reverti*[5], sed sustinere usque ad finem anni, miratus est eum et dixit: ‘ Ecce vere novi te apud me perstare posse; nam in omnibus ita secundum mentem meam egisti ut ambo admodum unius facti fuerimus ’. Et sic simul laborare perrexerunt usque in finem concordes ». (p. 260) Et ubi unus ex angelis in seniores monachos conversis finem narrandi hanc parabolam fecit, dixit alter: « Hodie magnam sententiam mihi enarrasti, sed te velim et interpretationem eius mihi enarrare ». Respondit angelus et dixit ei: « Verus agricola, est Deus; asperitas qua uti-

s. v. ⲛⲟⲩϩⲃ. Utrum corrigendum sit in ⲛϩⲁⲓ ⲛⲏⲓ dubium est; cf. W. Spiegelberg *Kopt. Handw.* s. v. ϩⲟⲓ, ϩⲁⲓ « saqieh ». — [4] Quid sit ϫⲱⲛⲧ me fugit; forsan vox sahidica ϫⲱⲛⲧ « probatus », ideo « maturus » (sahidice ϫⲧⲁⲓ). — [5] Cf. *Iudic.*, VII, 3.

tur, sunt tentationes et probationes quas his qui bene servire volunt imponit; tentat eos, ut sustineant; ex omni parte pugnat * adversus voluntatem eorum, ut sua potius voluntas in eis semper fiat. Si nunc igitur aliquis, qui se servum eius affirmat, eum in modo quo tentatur cum grato animo sustinuerit, tunc ab eo dilectus habebitur; quomodo autem aliquis huiusmodi eum, in omni opere et probatione quibus obviam venerit, sustinere poterit, nisi sibi ipsi dixerit: stultus sum omnino coram omnibus? Audivi enim scriptum esse in loco Scripturarum: *Qui cupit sapiens esse inter vos, stultus fiat ut sit sapientior coram Domino*[6]. (f. 209) Nunc igitur, si monachus iste omnia quibus a patre suo tentatur, sustinuerit, fiet et ipse electus et beatus coram Domino Iesu Christo ». Dum duo Dei angeli in seniores monachos conversi sic colloquuntur, Theodorus paululum distans sedebat, et, capite in genua deiecto, auscultabat quid ad invicem dicerent; et nescivit angelos esse, sed recreatus est verbis de se ab eis dictis. Paulo autem post appulit nauta, et navem simul conscenderunt. Et cum in locum exscensionis pervenerunt, respexit Theodorus et non vidit duos seniores monachos; et confestim in se agnovit angelos Dei esse. Et flens propter saporem verborum quae ab angelis audierat iter fecit donec * in Thmušons pervenit. Ubi pervenit ad fratres, cum eo gaudentes amplexati sunt eum omnes laete. Et visitavit eos iuxta mandatum patris nostri Pachomii; (p. 262) et solatio refectus in Phbou reversus est. Attamen denuo lugebat et assidue flebat dicendo: « Peccavi, quia permisi hanc vanam gloriam cor meum occupare ».

96. Cum navicula in eo esset ut Alexandriam peteret, senior antiquus, nomine Zacchaeus, praefectus fratrum nautarum, patrem nostrum Pachomium adiit et rogavit ut secum Alexandriam mitteret Theodorum qui fratribus nautis serviret et etiam paululum solatii in dolore consequeretur, ne forte nimio fletu offenderentur oculi eius. Et verbum placuit patri nostro Pachomio, qui Theodorum vocavit et Alexandriam misit cum navicula; etiam epistulam scripsit ad sanctum patrem nostrum

[6] I *Cor.*, III, 18.

96. Av f. 69r; G[1] §§ 109a, 113; Am p. 588.

abbatem Athanasium archiepiscopum. Theodorus autem in navicula humiliter et moeste cum fratribus se gerebat, et omnibus sicut parvulus subditus erat. Et si mensae ad edendum assedebant fratres, locum ei cedebant ut prior ministraretur. (f. 210) Ipse vero non assentiebatur, nisi omnes prius ministrarentur; tunc et ipse comedebat, et assidue verba Dei meditabatur. * Et quotiens, quamdiu Alexandriam petebant, ad ripam appellebant, totiens prior in ripam insiliebat et naviculam ad palum alligabat. Noctem revera saepe totam vigilabat Scripturas meditando. Et si etiam ad vicum cum fratre aliqua de causa mittebatur, fratri praecipiebat his verbis: « Si mihi satisfacere velis, cum vir nobis obviam venerit et dixerit 'Salve!', tu respondeas ei ». Et fratres, talem esse prae humilitate voluntatem eius rati, assentiebantur ei. Et ut Alexandriam venit Theodorus, archiepiscopus vidit eum et miratus est; et epistulam ad patrem nostrum Pachomium scripsit, in qua Theodorum praedicabat; nam saepe de eo audierat et inceptum eius experiri cupierat. Et, ubi ad meridiem rediit navicula, pater noster Pachomius osculatus est abbatem Zacchaeum, Theodorum, omnesque fratres, et ait: « Quid agit Ecclesia »? (p. 264)[1] Responderunt ei: « Auxilio divino et elevatione manuum tuarum incoepit pax ». Tunc enim de Ecclesia contristabatur, quia Ariani sicut latrones adversus eam surrexerant; et ad Deum orabat pro pace Ecclesiae eius catholicae, et moerebat propter populos ⌈Dei tanta affectos iniuria et orbatos archiepiscopo Athanasio Christophoro[2] et dicebat: « Haec permisit Deus ad probandos fideles; cito enim Deus ulciscetur iniustos pro meritis »[3].

97. Postea locutus est etiam cum fratribus de Theodoro his verbis: « ⌈Ne reputetis[1] Theodorum * imminutum esse coram Domino, quia publice remotus est coram hominibus; minime;

[1] Lege: ⲥ̄ⲍ̄ⲁ̄. — [2] Verba omissa (homoeoteleuton), secundum Av et G[1] p. 74, *8*: διὰ τὸν λαὸν τοῦ θεοῦ οὕτως ἀδικούμενον μὴ ἔχοντα τὸν ἀρχιεπίσκοπον Ἀθανάσιον τὸν χριστοφόρον. — [3] Cf. *Deut.*, XXXII, 43.

97. Av f. 69v; G[1] §§ 109b, 125b; Am p. 590. — [1] ⲙⲏ perperam additum in codice alia manu; fuit sahidice: ⲉϥϫⲱ ⲙ̄ⲙⲟⲥ ϫⲉ<ⲙ̄ⲡⲣ̄ⲙⲉⲉⲩⲉ ϫⲉ<ⲁⲑⲉⲟⲇⲱⲣⲟⲥ, secundum Av et Am.

sed amplius profecit quam in statu priori, pro humilitate qua sustinuit. Attendite verbo Evangelii; nam in illo adimplebitur: *qui se humiliaverit exaltabitur*[2]. Revera hoc idem servitium ego et Theodorus servimus ambo in e[illegible]m spiritu ». (f. 211) Theodorus autem vestigia eius sequebatur usque in diem exitus; et etiam si ab eo ad visitandos fratres mittebatur, sedebat et cum illis loquebatur verbum Dei.

98. Et si fratres videbant eum[1] sedere humi vel in molesto loco et aliquam rem ut in ea sederet afferebant, ipse non assentiebatur et dicebat: « Adhuc corpus meum morbo immune est; hoc non agam; timeo enim ne in futuro saeculo coram omnibus me videntibus famuler, quia corporis mei commodis inservii. Sic enim scriptum est in sanctis Evangeliis: *qui voluerit inter vos maior fieri, sit omnium minister*[2]; et iterum: *filius hominis non venit ministari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis*[3]; et ita igitur nos oportet vicissim ministrare, non vero ab aliis ministrari ». Ex quo praeceperat fratribus ne fidem deponerent cum aspides scorpiones aliasve bestias ⸢pede premerent[4], — scio, aiebat, quid totum egerim antequam mihi patefacta sit scientia, — (p. 266) si etiam a scorpione inter communem laborem * morsus erat et patiebatur, non discedebat a labore sed dolorem hunc reputabat inter illos quos propter Christum sustinebat. Si hora vespertina morsus erat, stabat et orabat donec sanabatur, dicendo: « Nullum utilius medicamentum, quam nomen Domini ». Cum etiam aliquando hora matutina in collecta staret et verbum Dei cum fratribus loqueretur, ianuam versus aspexit et spiritum tenebrosum vidit ibi stare; erat autem supra caput eius fenestra, quam matta duobus lateribus impositis fixa operiebat. Cum autem frater quidam funiculum mattae[5] alligatum traxisset, ut fenestram aperiret et lumen loco praeferret, tunc deciderunt in illum lateres. Timuerunt fratres et exclamaverunt putantes ca-

* p. 123.

[2] Matth., xxiii, 12.

98. Av f. 70v; Am p. 485, 480. — [1] Scilicet: « Pachomium ». — [2] Matth., ix, 26. — [3] Matth., xx, 28. — [4] Lege: ϫⲁⲡⲟⲩⲛⲁϩϯ <ⲛ̄ⲥⲱⲟⲩ ⲉⲩⲙⲟϣⲓ> ϩⲓⲱⲧⲟⲩ; cf. Am p. 485. — [5] ⲙ̄ⲙⲟⲥ = ⲡⲓⲑⲟⲙ; archetypus sahidicus, loco ⲧⲟⲙ, forte legebat ⲧⲙⲏ (fem.).

put illius fractum. Vir autem Dei, qui noverat aliquid sibi eventurum per illum quem ad portam stare viderat, confestim manus super caput imposuit, et grato animo impetum laterum sustinuit[6]. (f. 212) Paulo autem post fratres interrogaverunt eum: « Fractumne est caput tuum »? Hic autem respondit eis: « Dico vobis: antequam hoc mihi accidit, capite dolebam, nunc vero allevatus sum ». Haec autem dixit memor verbi Apostoli: *in omnibus gratias agite*[7], et simul certior nihil sibi eventurum sine Deo. In quodam etiam loco cum fratribus metebat; et, sero facto, verbum Dei illis locutus est. Dum autem loquitur, venerunt aspides duae et * crura eius circumplicarunt. Ipse autem nullomodo eis attendit, nec crura removit e loco in quo stabat. Et, ubi finem dicendi fecit, oraverunt ad dimittendos singulos in domus suas. Deinde lucernam iussit afferri; et, lucerna allata, viderunt bestias in cruribus eius implicatas; quas confestim occiderunt, et Deum laudaverunt *qui salvos facit sperantes in eum*[8].

* p. 124.

99. ⸢In illa autem etiam nocte[1], dum frater quidam, asceta magnus, nomine Paulus stabat et meditabatur, scorpio momordit pedem eius. (p. 268) Hic autem a vespere ad mane meditari non desiit, ita ut prae dolore veneni in cor suum ascendentis in eo esset ut redderet spiritum; et clamabat ad Dominum his verbis: « Te deprecari non desinam donec me allevaveris et sanaveris a malo veneno huius bestiae; etenim etiamsi persecutionibus cruciatus sim, non te reiciam propter tormenta ». Et ita sustinuit; ⸢et, mane facto, fratres convenerunt omnes et viderunt scorpionem, qui illum momorderat, ad pedes eius deiectum et mortuum; et mirati sunt[2]. Et praeceperat fratribus sociis dicendo: « Videte, ne ulli quid mihi acciderit enarretis, quominus cum patre nostro me conferant, et ita pereat merces quam mihi praeparaverit Dominus ad diem visitationis meae ». Frater autem aliquis totam rem omnibus aperuit.

[6] Av addit: « fratribus confestim silentium signo indicavit ». — [7] I *Thess.*, v, 18. — [8] *Psalm.* xvi, 7.

99. Av f. 71v; G[1] § 101; Am p. 481. — [1] Omittit Av. — [2] Haec posita sunt in codice post « ... rem omnibus aperuit ». Restituimus rectum ordinem in Av servatum.

* p. 125. **100.** * Factum est etiam aliquando quod fratres egrederentur alicuius ministerii causa, et patri nostro Pachomio narrarent magnam famem et pestem ita mundum occupare ut terra in eo esset ut deleretur. (f. 213) Quando autem hac de re eum certiorem fecerunt, biduum iam ieiunabat; tunc usque ad posterum diem ieiunavit, dicendo: « Ne ego comedam, dum membra socia esuriunt et panem ad edendum non inveniunt ». Et per totum tempus quo fames foris viguit lugebat et corpus magis coercebat ieiuniis et precibus plurimis, adimplens verbum Apostoli: *si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*[1]; et ad Dominum etiam enixe orabat, ut exundantes fluminis aquas quantum opus esset augeret, adeo ut vigeret ubertas super terram, panem invenirent homines ederent viverent et laudarent Deum *cuius facerent voluntatem*[2].

101. Quotiens precaturus erat, totiens recordabatur mandati Apostoli dicentis: orate *pro omnibus hominibus: sive pro rege, sive pro his qui in dignitate orthodoxa sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni decore et pietate*[1]. Propterea, quando pater noster Pachomius orabat, (p. 270) pro toto mundo orabat per ordinem: primum pro monachis et virginibus, ut Dominus eis modum tribueret adimplendi votum quod firmo animo voverunt, his verbis: « Domine Deus omnipotens, Deus benedictus, concede nobis ut adimpleamus ministerium hoc quod * incepimus, ego et membra mea socia, et ideo te digni fiamus, et habites in corpore anima spirituque nostro, et simus semper perfecti in amore tuo, et ambulemus coram te ad arbitrium tuum; et ne in te peccemus, nec *contristemur Spiritum sanctum tuum*[2] in cuius nomine signati sumus; sed ut simus puri et immaculati coram te omnibus diebus vitae nostrae in hoc mundo, et ita mereamur bona regni tui caelestis in aeternum manentis per tuam miserationem, o hominum amator »! Orabat etiam pro his qui matrimonio iuncti sunt, ut mandata eius in Evangelio[3] servarent ⌈et vitam aeternam acciperent[4] (f. 214) Similiter orabat pro triplici hominum ordine: primum pro his qui bonum inceperunt, ut modum illud sine offendiculo perficiendi tribueret Dominus; deinde pro his qui bonum inceperunt sed perficere non potuerunt quia vanis huius mundi curis prohibentur quominus perficerent, ut Dominus tribueret eis modum operandi bonum et auferret ab eis omnem vanam huius mundi curam, exceptis solis ad usum corporis necessariis, ita ut Dei voluntatem agerent, servarentur a tormentis et aeterni regni haereditatem adirent. Orabat pro his qui perseverant in operibus diaboli, pro omnibus gentibus et pro his qui inconsulto in errorem haereseos ab aliis allecti sunt, ut Deus tribueret eis perceptionem, * perciperent et *facerent fructum dignum paenitentiae*[5]; praesertim propter beneficia quae illis quocumque tempore tribuit: (p. 272) quemadmodum in die *solem oriri facit super*[6] illos in terra et ita lumen praefert ut quisque artem suam exerceat et necessaria sibi inveniat; lunam et stellas quae lumen praeferant in nocte; tempus fecunditatis et imbres et rores et ventos qui nutriant fructus in agris seminatos; et omnia hominibus et aliis creaturis omnibus ad usum hominum a Deo creatis necessaria, iuxta dictum psalmistae David: *ordinatione tua perseverat dies*[7]. ⌈et iterum:[8] *quoniam omnia serviunt tibi*[7]. Et orabat etiam *pro regibus et his qui terrestri munere sunt aucti*[9], — ⌈adimplens verbum Salomonis: *per me reges regnant* —[10], ut eos Dominus servaret in amore Dei et hominum cum mansuetudine *ad faciendum iudicium iniuriam patientibus*[11], ideoque ipsi apparerent cum omnibus sanctis qui ab aeterno Deo placuerunt, (f. 215) et dicerent verbum[12] Isaiae prophetae: *Dominus Deus noster, Dominus iudex noster, Dominus dux noster, Dominus est qui vivificat nos*[13]; et ut contemnerent regnum huius mundi temporarium ad conse-

* p. 126. * p. 127.

100. Av f. 72r; Am p. 486. — [1] I *Cor.*, XII, 26. — [2] Cf. *Psalm.* XXIX, 9.
101. Av f. 72v; S5 p. 168; Am p. 487. — [1] I *Tim.*, II, 2, — [2] Cf. *Ephes.*, IV, 30. — [3] Incipit S5 fragm. 13. — [4] Retractatio, nam Av et S5 sic sonant: « ... in Evangelio servarent, secundum quod dictum est iuveni Salvatorem interroganti: *quid faciendo vitam aeternam possidebo?* et scimus quid ei responsum sit ». (Luc., X, 25). — [5] Cf. Matth., III, 8; *Act.*, XXVI, 20. — [6] Matth., V, 45; *Psalm.* CXXXV, 7-8. — [7] *Psalm.* CXVIII, 91. — [8] Omittunt Av et S5. — [9] Cf. I *Tim.*, II, 2. — [10] Av et S5: « prout dixit Apostolus referens verba a Salomone, quasi ab ipso Domino, dicta: *Per me reges regnant, et per me tyranni terrae dominantur* (*Prov.*, VIII, 15-16) ». — [11] *Psalm.* CXLV, 7. — [12] Desinit S5 fragm. 13. — [13] Is., XXXIII, 22.

* p. 128. quendam haereditatem * regni caelestis in aeternum manentis; et ut assimilarentur cum iustis regibus David, Ezechia, Iosia et his qui, sicut illi, *operati sunt iustitiam*[14]. Orabat etiam pro clero Ecclesiae catholicae his verbis: « Quamquam patres nostri sunt, tamen me oportet eorum memorari et pro eis orare, quoniam ad hoc hortatus est sanctus Apostolus his verbis: *fratres, et pro nobis orate, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis* »[15] ⌈Talis est modus quo pro omnibus orabat[16].

102. Erant autem etiam in Phbou decem fratres qui negligenter agebant; cogitationes impurae cor eorum occupabant et Satanas semper sagittabat cor eorum. (p. 274) Et prae cogitationibus impuris quibus occupabantur, doctrinis quas docebat fratres pater noster Pachomius diffidebant et ei in multis adversabantur. Pater autem noster Pachomius de illis contristabatur et Deum die ac nocte pro illis orabat ad animas illorum salvandas, recordatus laborum[1] quos simul cum illis ab infantia illorum sustinuerat; praesertim compertum habebat illos nondum corpus ulla omnino impuritate foedavisse. Dum ergo pro illorum salute orabat, a Domino exivit ira, quae propter illos circumdedit fratres omnes; immo angeli irae[2] quidam in patrem nostrum Pachomium insiluerunt. Dum igitur orabat, angeli conabantur animam eius propter illos auferre, quia orabat pro viris qui doctrinas ab ipso ad salutem illorum propositas contemnebant. * Aliquis autem e senioribus locutus est cum patre nostro Pachomio et dixit: « Quare tantos labores propter illos sustines? ecce nunc propter illos castigaberis? (f. 216) Melius est te e medio nostri eicere illos quam Deum tibi irasci quod patienter cum illis agas nec resipiscant ad iram effugiendam ». Pater noster Pachomius respondit ei: « O miser et insane, quid dixisti! ut eiciam illos! nonne audivisti et tu quid olim fecisset Moyses, — exemplar enim sunt nobis sancti, — quomodo animam pro populo qui legem violaret dedisset his verbis: *si eos deleas, dele et me de libro quem scripsisti* »![3] Ta-

* p. 129.

[14] Cf. *Hebr.*, XI, 33. — [15] *Coloss.*, IV, 3. — [16] Compendium vel retractatio nam Av fusius.

102. Av f. 74v; S3a p. 257; G1 § 100; Am p. 495. — [1] Incipit S3a fragm. 3. — [2] Angeli qui suppliciis praesunt. — [3] *Exod.*, XXXII, 32.

lis est modus quo cum illis dolores sustinuit, donec in meliorem frugem se reciperent, ⌈resipiscerent et animarum salutem operarentur[4]. Paulo post pater noster Pachomius cuidam e decem illis fratribus occurrit et cum hilari vultu dixit ei: « Fili mi, quomodo tu et ceteri fratres tui etiam his temporibus valetis »? Frater respondit ei: « Gratias ago Domino precibusque tuis sanctis: ⌈cor meum his diebus quiescit »[5]. Iterum dixit vir Dei[6]: « Diebus in quibus putabas nos tibi molestos esse (p. 276), ipsi daemones adversus te pugnabant, quia in te locum requiei non inveniebant; sicut miles, qui domum ingredi vult et ibi diversari, turbulentus agitatur pro domo[7], quam ingredi vult sed non potest quia bene occlusae sunt * fores; si vero qui sunt intra timent eum, aperiunt ei ut ingrediatur, iam non turbulentus est, sed convenienter in domo quiescit. Sic et tu, olim agitatus es a spiritu impuro, quia opera eius non perficiebas; nunc vero ostium aperuisti ei, et in te habitat et implevit te *ab ungulis pedis usque ad capillum capitis tui*[8]; ideoque non amplius potest te ullo dolore afficere ⌈propter exercitia quae facis »[9]. Iterum dixit ei frater: « Potestne fieri, ut malus daemon a me recedat, Dei voluntatem agam et tormenta peccatoribus mihi similibus parata effugiam »? (f. 217) Dixit ei pater noster Pachomius: « Dico tibi si alternis diebus ieiunaveris et a mane ad vesperum oraveris, hic daemon tamdiu non recedet a te, quamdiu credendi difficultas in te vigebit; sed, si credideris verba tibi a me prolata esse vera et a Deo dicta, praesto tibi futurum est ut ante medium etiam diem hodiernum recedat a te daemon, et quiescas ». Ut autem ea audivit frater, recessit, abiit et alternis diebus ieiunavit aliquandiu; sed diffidere viro Dei, patri nostro[10] Pachomio, usque in diem mortis suae non destitit.

* p. 130.

[4] Omittit Av, et probabilius etiam S3a; cf. *Act.*, XXVI, 20. — [5] Verba omissa ex haplographia: ⲡⲁ<ϩⲏⲧ ⲛ̄ⲧⲟⲛ ⲛ̄ⲛⲉⲓ̈ϩⲟⲟⲩ · ⲡⲁ>ⲗⲓⲛ secundum S3a. — [6] Revera S3a habet: ⲛ̄ϭⲓⲡⲣⲱⲙⲉ ⲙ̄ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ. — [7] Locus obscurus; [lacuna in S3a]; Av et Am: « perterrens eos qui domum tenent », id est: ⲉϥϣⲧⲟⲣⲑⲉⲣ ⲛ̄ⲛⲁⲡⲏⲓ. — [8] Cf. *Deut.*, XXVIII, 35; *Iob.*, II, 7, etc.; cf. etiam *Recueil de Travaux*, ed. G. Maspero, XXXIV (1912), p. 158. — [9] Verba haec videntur absona; Av et S3a habent: « quia totam eius adimplevisti voluntatem ». — [10] Desinit S3a fragm. 3.

103. Factum est etiam aliquando quod Dominus visionem patri nostro Pachomio patefaceret. Cum aspiceret, vidit speciem gehennae caligine et * tenebris circumfusam, et in medio erectam columnam; et voces ex omni parte gehennae fiebant clamantes: « Ecce hic apud nos est lumen ». Viri autem, qui ibi erant, iter praetentabant, quia densissimae et valde horrendae erant illae tenebrae. (p. 278) Factum est etiam, cum audirent: « ecce apud nos est lumen », quod eo currerent quaerentes lumen optatum; dum autem praecurrebant, aliam retro vocem audiebant: « ecce hic est lumen », et confestim ad voces quas audiebant revertebantur quaerentes lumen. Vidit etiam in visione aliquos ex his qui erant in tenebris: ecce, columnam circumibant, putabant progredi et ad lumen accedere, et nesciebant se circumire columnam. Et aspexit iterum, et vidit fratres totius communitatis ibi singulatim ambulare et inter se cohaerere ne errarent prae multa caligine illa; qui antecedebant, ferebant lucem quae inlustrabat sicut lucerna; quattuor tantum fratres lucem videbant, et ceteri omnes nullam omnino videbant. (f. 218) Pater autem noster Pachomius aspexit quomodo ambulabant: si quis praecedenti cohaerere desinebat, cum toto agmine sequenti in tenebris errabat. * Vidit quemdam, nomine Paniski, fratrum principem, et alios cum eo desinere persequi illos qui praecedebant et ducebant; et vir Dei Pachomius, priusquam ab agmine distraherentur, singulos nominatim in extasi appellabat his verbis: « Apprehende illum qui praecedit te, ne erres ». Parva autem lux, quae fratres praecedebat, ducebat eos donec pervenit ad magnam fenestram e cuius summo lumen erat magnum; illuc scanderunt. Fenestra autem illa firmiter clathrata erat, ne per eam descenderet lumen neve ascenderent qui in tenebris versabantur. Postquam ea vidit pater noster Pachomius, de interpretatione etiam visionis certior factus est ab illo qui ipsi ea omnia indicaverat (p. 280): « Speciem gehennae quam vidisti, est mundus hic; densitas tenebrarum ibi vigentium, sunt omnes vani errores curaeque superfluae; viri qui

* p. 131. — * p. 132.

103. Av f. 75^{v}; S^{3a} p. 259; G^{1} § 102; Am p. 498; *Epist. Amm.* § 12. Interest notare hanc visionem visam fuisse a Pachomio, teste *Epist. Amm.*: ἅμα τῷ τὸν μονήρη βίον ἑλέσθαι.

ibi inhabitant, sunt animae rudes; voces clamantes « ecce apud nos est lumen », sunt haereses (et schismatici) [0] quarum singulae dicunt « nos rectum dogma sumus »; columnae quas circumeunt, sunt erroris duces, quibus confiderunt animae simplices, et qui dicunt « vivificatores sumus » cum sint perditores; fratres qui praecedunt, sunt omnes Dei amatores in recta fide ambulantes, sicut[1] scriptum est: *omnes enim vos unum estis in Christo* »[2]. Edoctus est insuper: « Fratres, qui desistunt, significant * episcopos qui sunt in recta Christi fide, sed cum haeresibus communicant, in errorem inducunt multos — quotquot sunt viri simplices — ex eis quos docent; (f. 219) et deserunt eos qui in rectitudine versantur, et scandalizant multos, sicut scriptum est: *vae homini illi per quem scandalum venit*[3]. ⌈Lux autem, quae fratres ducit, est praedicatio ....[4] ideoque parva est lux illa; scriptum est enim in sanctis Evangeliis de regno caelorum: *simile est grano sinapis, quod minimum est*[5]. Lumen autem multum, quod est a summa fenestra, est verbum Apostoli dicentis: *donec occurramus omnes in eumdem sensum fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi Iesu* »[6]. Quae autem cum vidisset pater noster Pachomius, vocavit fratres quos in visione desistere viderat, et mandavit eis ut in timore Dei certarent et viverent. Sed ab eo egressi non resipuerunt ut converterentur a negligentia et contemptu; at perseveraverunt ut erant prius, donec alieni facti sunt a fratribus ⌈vitaque aeterna Domini Iesu[7].

* p. 133.

104. (p. 282) Pater autem noster Pachomius assidue ⌈cum illis colloquebatur[1] per scientiam sanctorum, et laborabat pro

[0] Glossema manifestum. — [1] Incipit S^{3a} fragm. 4. — [2] *Galat.*, III, 28. — [3] MATTH., XVIII, 7. — [4] Paragraphus est omissus; partim servatur in S^{3a} mutilo; et textus in Av ita sonat: « Lux, quae fratres ducit, est Evangelium et veritas Dei; non enim purus est qui decipitur a seipso passionibusque suis, sicut scriptum est: *in quibus excaecatum est cor infidelium huius mundi, ut non videant lumen Evangelii gloriae Christi qui est imago Dei* (II *Cor.*, IV, 4 secundum textum sahidicum); ideoque parva est... » etc. Cf. Am p. 500. — [5] MATTH., XIII, 31-32. — [6] *Ephes.*, IV, 13, — [7] Verba haec omittuntur in S^{3a} et Av.

104. Av f. 77^{v}; S^{3a} p. 260; G^{1} §§ 58, 59; Am p. 502. — [1] **ϥϥⲥⲁϫⲓ ⲛⲉⲙⲱⲟⲩ**; linea sahidica omissa, uti patet ex Av, S^{3a} et Am.

*p. 134. salute animarum fratrum, sicut vinea colitur * a diligente vinitore; hic diligentiam adhibet ad muniendam omni securitate et cautione vineam suam, curat murum et sepem adversus fures ferasque[2], et abigit aves ne perdant fructus suos, sicut scriptum est: *vinea Domini sabaoth, est domus Israel*[3]. Tradidit enim illis leges et traditiones, alias scriptas, alias autem memoriae mandatas ⸢ad modum sanctorum Evangeliorum Christi[4]. Et mandavit etiam omnibus per monasteria fratribus ut, si quis aliquod praeceptum pro salute illorum traditum violaret, paenas lueret pro meritis detrectationis suae ad veniam negligentiarum per inobedientiam admissarum a Domino consequendam. (f. 220) Mandavit etiam his qui foris fratrum ministerium exercebant, ne ullum omnino de re saeculari nuntium in congregationem inferrent; sed, si quis illis ad cognatum nuntium vel aliam rem committeret, nemo in monasterium redux eum cuius res interest adiret, neve ullum hac de re verbum ei faceret; sed patrem monasterii adiret et ei rem aperiret; hic autem, re explorata, illum certiorem faceret si audiendo profecturus esset; alioquin, ne rem illam traderet. Inter fratres nulla vox aliena audiebatur, sed in sanctis legibus exercitabantur et nulla cura[5] *p. 135. saecularis apud eos erat; * verum quasi e terra in caelum translati erant ⸢prae tranquilla et strenua vita in qua perseverabant[6].

105. Cum autem etiam aliquando in monasterio transiret pater noster Pachomius, aliquem qui carnaliter sentiebat audivit cum aliis colloqui (p. 284) his verbis: « Tempus est uvarum». Quae cum audiret vir Dei, iratus est valde et hunc solerter castigavit his verbis: « O miser, nonne scis pseudoprophetas mortuos esse, sed spiritum eorum adhuc homines circumire ad inveniendam in illis habitationem, ⸢uti in istis![1] quare igitur tali daemonio locum dedisti ut in te habitaret et per os tuum ita loqueretur ut nunc rudes aliqui te audirent hunc fructum nominare et a concupiscentia eius torqueri inci-

[2] Cf. MATTH., XXI, 33. — [3] Is., V, 7. — [4] Omittunt Av et S^{3a}. — [5] Lege iuxta S^{3a}: ⲛⲉⲙ̄ⲙⲟⲛⲧⲱⲟⲩ ⲛ̄ϩⲁⲓ ⲛ̄ⲣⲱⲟⲩϣ. — [6] Omittit Av; S^{3a}: lacuna.

105. Av f. 78r; S^5 p. 170-172; S^{3a} p. 261; Am p. 506. — [1] Omittunt Av, S^{3a}.

perent! ideoque tu a Deo alienus fieres quia animas illorum scandalizasti, prout scriptum est: *anima pro anima!*[2] Nonne audivisti et tu Apostolum dicentem: *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus det gratiam audientibus*[3] simul et dicentibus? Nonne scis verbum, quod nunc dixisti, non fore ad aedificationem fratrum tuorum, ⸢sed potius *ad interitum et perditionem*?[4] ⸢Quare igitur, o miser, illud dixisti?[5] (f. 221) Ecce[6] enim vobis testificor verba huiusmodi vana, vel scurrilitatem, vel nugas, vel garrulitatem, esse stupra animae *humanae coram Domino. Docebo autem vos per parabolam qualis sit ira Dei in hominem qui scurrilitates vel iurgia inter fratres[7] profert: Quemadmodum vir dives aliquos ad epulas invitavit ad edendum bibendum et delectandum; postquam accubuerunt, lasciviter surrexerunt et vasa domus abiecerunt; vir vero in eos iratus est, et castigavit eos his verbis: « Ingrati et miseri, in domum meam vos invitavi ad bene edendum, et bibendum, quare igitur in lascivia animarum vestrarum vasa domus meae abiecistis ⸢et ingrato animo comedistis »?[8] Ita etiam, ...[9] in omnes qui sub iugo monachatus vivunt et verba contentiosa proferunt iram suam emittet Dominus (p. 286) et ⸢dicet eis:[9] « vos vocati estis ad sanctam vocationem, et vultis perdere animas ⸢vestras et animas[10] quas salvandas congregaveram! easne destruetis contentiosis verbis vestris »? Docebo etiam vos decus et honorem eorum qui bene exercitantur, quomodo labores eorum qui in communi vita certant excellentiores sint quam labores eorum qui in vita

*p. 136.

[2] *Exod.*, XXI, 23. — [3] *Ephes.*, IV, 29. — [4] *I Tim.*, VI, 9; omisit Av. — [5] Tres lineae sahidicae omissae; lapsus denuo accidit in fine paginae. S^{3a} sic sonat: ⲉⲧⲃⲉⲟⲩϭⲉ ⲉⲕⲛⲁϫⲟⲟϥ ⲱ ⲡⲧⲁ[ⲗⲁⲓ]ⲡⲱⲣⲟⲥ [ⲉⲣ]ⲟⲟⲩ. Cf. infra n. 9. — [6] Incipit S^5 fragm. 14. — [7] Av, S^5 et S^{3a} addunt « ut rideant ». — [8] Omittunt ceteri. — [9] Locus ⲫⲁⲓⲡⲉ ⲙ̄ⲫⲣⲏϯ .... ⲟⲩⲟϩ ⲁⲩⲑⲁϩⲉⲙⲑⲏⲛⲟⲩ est contortus et mendosus. S^5 et S^{3a}: « Dico vobis, ita etiam Dominus irascetur hominibus quos vocatione sua vocavit et dicet eis: 'in domo mea accepi vos ut [paenitentiam ageretis; vos autem vultis perdere... » etc.]. Suspicor denuo librarium retractavisse locum archetypi sui mutili; etenim, computatis lineis, hic locus debuit in folio averso respondere alio loco mutilo (supra n. 5) in eodem folio recto. — Desinit S^{3a} fragm. 4 in lacuna. — [10] Linea omissa ex haplographia: ⲛ̄<ⲛⲉⲧⲛ̄ⲯⲩⲭⲏ ⲛⲉⲙ>ⲛⲓⲯⲩⲭⲏ.

anachoretica versantur; docebo etiam vos ruinam casum et damnum esse maiora apud eos qui in vita communi male — ⌈quod est scandalum fratribus —[11] versantur, quam apud eos qui vitam anachoreticam agunt: Quemadmodum mercator, qui quocumque tempore per mare et flumina navigat, valde ditabitur dummodo maris pericula effugiat; si *vero navis eius submergatur[12], non solum divitiae sed anima et memoria eius in aeternum peribunt. Audite simul et interpretationem: qui in vita communi proficit puritate obedientia humilitate et obsequio, et nemini parit offendiculum aut scandalum verbo aut opere, divitiis ditatur indissolubilibus et sempiternis; at si negligens fuerit et anima ab ipso scandalizata moriatur, *vae homini illi*[13]; non solum perdidit animam propriam et labores quos sustinuit, sed et rationem animae a se scandalizatae reddet Deo. De his etiam qui sunt in vita anachoretica audite, et parabolam eorum vos docebo: Quemadmodum mercator, qui panem olera et alia huiusmodi vendit in foro, quotidiano lucro hoc non ditabitur, tamen nulla huius mundi substantia corporali indigebit. Sic etiam vir asceta, qui vitam anachoreticam agit, incommoda sodalitatis non sustinet, tamen ne illos quidem videt qui exercitantur, ita ut imitans opera et exercitia bona ab eis facta et ipse agat; (p. 288) talis igitur vir non exaltabitur in regno caelorum, tamen ne vita quidem aeterna frustrabitur[14] propter puritatem asceseos in qua vixit; ieiuniorum enim eius et precum et exercitiorum * in nomine Christi factorum et amoris erga Christum et timoris multiplex merces ei persolvetur in regno Christi in futuro saeculo. Monebo etiam vos per parabolam de fratribus in vita communi minimis, qui nec magnis exercitiis nec copiosiore ascesi utuntur, sed tantum in puritate corporis degunt obedientes et servientes regulis positis — quod vitae genus apud anachoretas non habetur ut exercitatio, sed minimum reputatur. — Quemadmodum famuli et eunuchi apud regem gratissimi maiorem in palatio licentiam habent quam qui munere apud regem funguntur; hi quidem apud regem admitti non possunt, nisi ab eunuchis regem visitaturi

[11] Omittunt Av et S⁵. — [12] ϭⲱⲗⲕ = S⁵: ⲃⲱⲕ ϩⲁ[ⲥⲓⲉ. — [13] MATTH., XVIII, 7. — [14] ⲉϥⲛⲁϥⲟϫϥ = ⲉⲩⲛⲁ-; cf. Av et Am.

nuntiantur. (f. 223) Sic etiam qui in vita communi similiter minimi reputantur[15], perfecti in lege Christi pro sua patientia inveniuntur; huiusmodi viri in omni obsequio secundum Deum exercitantur et etiam praestantiores sunt quam anachoretae; ambulant enim in servitio in quo et Apostolus, prout scriptum est: *per caritatem Spiritus servite invicem,* cum spiritu omnis *mansuetudinis et patientiae*[16] coram Domino nostro Iesu.

106. Factum est etiam aliquando, dum pater noster Pachomius alicubi orabat, quod ei appareret visio de his qui a proprio proposito declinarent *et fierent zizania, prout in sancto Evangelio scriptum est: *zizania, filii sunt nequam*[1], id est: qui polluunt imaginem Dei[2]. Et non praetermittebat viros huiusmodi separare a bono semine; sciebat enim, deficientibus istis, viros probos prospere cessuros. (p. 290) Si aliquem seductum ab uno e filiis malorum parvulum[3] esse inveniebat, quando sciebat de puero lapso [neminem certiorem factum fuisse[4], animae eius medicinam impertiebatur et sanabat illam. Si etiam[5] aliquem in culpam lapsum inveniebat, cum hunc paeniturum sciebat properus e manu diaboli sua patientia salvabat, recordatus mandati Apostoli dicentis: *fratres, si quis ex vobis in delicto ceciderit*[6], *vos qui spirituales estis huiusmodi praeparate in spiritu lenitatis,* (f. 224) *et considerans teipsum ne et tu tenteris*[7]. Deinde, quos vero mali filios inveniebat, schemate monachorum exuebat, saecularibus vestibus induebat et e fratribus expellebat. Multos etiam, priusquam complerent quod perficere in animo habebant, per Spiritum Dei in se habitantem agnoscebat; et hos copiose examinabat donec ore confiterentur quid perficere in animo haberent; et viros huiusmodi e fratribus expellebat.

[15] Desinit S⁵ fragm. 14. — [16] *Galat.*, V, 13; *Ephes.*, IV, 2.

106. Av f. 80r; Am p. 509. — [1] MATTH., XIII, 38. — [2] Cf. I *Cor.*, XI, 7. — [3] Lege: <ϫ>ⲉϥⲥⲃⲟⲕ. — [4] Linea sahidica omissa ex haplographia -ⲉⲓⲙⲉ <ϫⲉⲙⲡⲗⲁⲁⲩ ⲉⲓⲙⲉ> ⲉⲡⲕⲟⲩⲓ̈, uti patet ex Av et Am. — [5] « Si etiam... expellebat ». Contextus manifeste postulat ordinem restitutum et quidem servatum in Av et Am. Inde apparet duas columnas archetypi praepostero ordine translatas fuisse; cf. ephem. *Le Muséon*, XLIV (1931), p. 131. — [6] -ϩⲉ cum Biblia sah.; Biblia boh. autem: -ϣⲉ. — [7] *Galat.*, VI, 1.

* p. 140. **107.** * Factum est autem, cum fratres Alexandriam ad vendendas ibi aliquot storeas et ad emenda fratribus aegrotantibus necessaria pervenissent et in eo essent ut meridiem denuo peterent, quod tres viri cum eis navem conscenderent et ad meridiem in monasterium Phbou monachorum vitae cupidi venirent. Et postquam pater noster Pachomius omnes fratres osculatus est et de pace Ecclesiae catholicae sanctae Christi interrogavit, tunc maiori inter fratres dixit: « Quare tecum hanc zizaniam adduxisti ⌈de qua dicis mihi[1]: fac eum monachum ». Respondit ei frater humillime: « Num tibi videtur, o pater sancte, me etiam hanc gratiam habere quam tibi Dominus concessit discernendi bonos a malis »? Et dixit ei: « Vir, prout ab infantia egit, est zizania propter multas impuritates quas admisit coram Deo; difficile est vero viros huiusmodi vivere, nisi magnos labores multa ieiunia assiduas preces copiosas asceses et multas vigilias agant; (p. 292) tamen, quoniam istum adduxisti, cum aliis duobus accipiemus ne forte, si expulerimus, alii duo pusillanimes fiant et recedant. Istum autem observabimus et docebimus viam salutis, ne forte inter nos etiam mala opera incipiat quae, priusquam ad nos adduceres, fecit; si ad meliorem frugem se receperit et paenituerit, excipiemus et apud nos constituemus eum; si vero peccatorum non paenituerit, tunc in locum * unde adduxisti remittemus eum. Nunc quidem si eum eicere voluerimus, alii duo contristabuntur et recedent, et damnum animae a nobis patientur, et Dominus a nobis rationem repetet. Quid revera interest ad nos congregare viros malos, qui proprio motu non statuerunt Deo paenitere! Re quidem vera viri a nobis hoc anno eiecti numerum centesimum efficiunt ». — His autem temporibus fratres omnium monasteriorum communitatis numero circiter trecenti sexaginta[2] viri erant. — (f. 225) Respondit ei frater: « Si viros quos dixisti e nobis non eicisses, complures essent fratres et communitas valde dilataretur cum laetitia ». Respondit ei pater noster Pachomius: « Minime; si illos servavissem, fratres essent

* p. 141.

107. Av f. 80v; S5 p. 173; S13 p. 30-31; Am p. 510. — [1] Probabilius linea sahidica omissa: ⲉⲕϫⲱ ⲙ̄ⲙⲟⲥ ⲛⲁⲓ̈ ϫⲉ. — [2] Av et Am: ثلثماية « trecenti ».

numero imminuti; cum enim pullulant mali, tunc et super bonos descendit ira Dei, et utrique exsecrationibus sunt obnoxii, sicut scriptum est: *Peccatum minuebat tribum per exsecrationem Domini; sed cum malos e populo Domini expellebant, descendebat benedictio Domini super totum populum, et magis augebantur et fructum ferebant Deo* »[3]. Et iterum dixit ei frater: « Velim me doceas vim verbi quod dixisti: zizania est vir iste. Num a nativitate mala est, ut aiunt homines, natura istorum? Si huiusmodi est natura in qua natus est, quid potest »? Respondit ei * pater noster Pachomius: « Omnis homo a Deo ex Adam creatus (p. 294) habet facultatem eligendi bonum et malum; et si quis malam ab infantia habet naturam, sane eam a mala parentum suorum natura accepit; ideo irreprehensibilis est Dominus, quod homo seipsum vincendi in cupiditatibus secum pugnantibus libertatem habet. Ecce mulieres quidem multae in propria natura seipsas vicerunt asceses in virginitate usque ad finem exercendo, et tamen masculinam naturam non habebant! quanto magis vir a Deo *ad similitudinem et imaginem*[4] eius creatus et masculina natura donatus! Etsi, ut aiunt homines, ab huiusmodi cupiditatibus impugnatur, nonne potest per propriam voluntatem et rationis suae iudicium cupiditates secum pugnantes domare et a se repellere? Revera docet nos Scriptura *quod fecerit Deus hominem rectum; sed homo proprio motu ad malas cogitationes inclinat*[5] ⌈et Deum *creatorem suum ad iracundiam concitat*[6]; (f. 226) postea proprio motu cor suum inclinat ad cogitationes malas impurasque, ad cupidines vanas, ad verba obscena et iurgia[7], sicut dixit Salomon: *hominem vidi rectum, et ipse quaesivit argumentationes in corde suo malas coram Domino*[8]. Et etiamsi quis genere malo natus est, potest proprio motu et iudicio immutari, qualiscumque sit natura sua[9]. Hanc sententiam etiam Ezechiel propheta nobis confirmat * his verbis: *Si quis a patre nequam fundente sanguinem genitus fuerit filius, et patris iniquitates*

* p. 142. * p. 143.

[3] Ubinam scriptum sit, non invenio. — [4] Cf. *Genes.*, I, 26-27; *Sap.*, II, 23. — [5] Cf. *Eccles.*, VII, 30. — [6] Cf. *Deut.*, XXXII, 18-19. — [7] Locus retractatus. Av et Am omittunt totam sententiam. — [8] *Eccles.*, VII, 30. — [9] Verba: « Etiamsi... natura sua », perperam scripta sunt in codice post « ... a patre suo admissis ». Codd. arabici rectum ordinem ambo servaverunt.

viderit et timuerit et in eis non ambulaverit sed iustitiam coram Domino Sabaoth egerit, vita revera vivet et non morietur in peccatis a patre suo admissis[10]. Vir vero, qui non est huius generis vel, ut simpliciter dicam, nullam habet passionem, si agere voluerit, decore naturae in qua a Domino creatus est, scilicet masculinae, non servato, turpes etiam[11] iniquitates admittet. (p. 296) Verum si ambulaverit in timore Domini et decore, puritatem matrimonii servabit, impudicitiam et adulterium vitabit, *et uxori suae adhaerebit soli*[12]. Si perfectionem etiam ambierit, iuxta dictum sancti apostoli Pauli *aemulamini charismata meliora*[13], vivet quidem in puritate angelica; tunc Spiritus sanctus in eo habitabit et eum sanctificabit; et abibit, vitam monachorum aget et Domino serviet in omni puritate et iustitia ». Quae autem cum dixisset pater noster Pachomius, respondit frater et dixit: « Domine pater, mihi satisfecisti hac de re quam a te percunctatus sum; velim etiam doceas me quare viri multi ad nos veniant vitae monachorum cupidi, et plerosque avertas recusando eos instituere monachos; qua igitur de causa * viros huiusmodi non accipis, et de eis dicis: non est eis paenitentia; et de eis etiam dicis: ex toto corde non venerunt ad vitam monachorum agendam »? (f. 227) Et pater noster Pachomius dixit ei: « Reputastine nos esse imaginis Dei contemptores! Minime; ne mihi eveniat ut ullum omnino hominem contemnam! Sed omnes quos ad me non accipio zizania sunt ad modum illius de quo tibi dixi zizaniam esse; viris enim huiusmodi difficile est in vita communi salvari propter libidines quibus domantur; revera nemo, nisi is in quo habitat Dominus, potest illos propter peccata et turpia admissa ad timendum allicere. Dico enim tibi: si opera illorum fratribus ut pro illis coram Domino orent revelarem, non solum pro illis non orarent, sed illos contemnerent contumeliis afficerent et recusarent cum illis edere et bibere; propterea illos ad nos non accipimus, ne forte quis inter fratres in mala illorum opera cadat, corde propter illos obdurescat, et in laqueos diaboli

[10] EZECH., XVIII, 10, 14, 17. — [11] ⲁⲛ = ⲟⲛ; nam negatio repugnat et deest in Av et Am. — [12] Cf. *Genes.*, II, 24; *Ephes.*, V, 31. — [13] I *Cor.*, XII, 31.

incidat. Ego quidem e caterva virorum huiusmodi aliquos singulatim accipio et cum eis multum luctor, donec eos e manu inimici eripio; (p. 293) me enim oportet saepissime die et nocte illos adire, donec illos aut salvem aut visitet Dominus, et quiescant in Domino; haec autem ago ad implendum dictum sancti Apostoli: * *supportantes invicem, ut salvemini*[14]. Quod ad eos ⌈qui veniunt[15] et a me non accipiuntur attinet, timeo ne similis fiam agricolae qui totum suum agrum aridum incultum spinisque plenum vult mundare, agri vero mundi cultum derelinquit, quia amborum cultui non sufficit; haec est ratio mea agendi; apud me enim reputo: num ita mihi curandis impudicis incumbendum ut puros visitare negligam, et in impuritatem et ipsi incidant! at per gratiam Christi puras animas colo mandatis vitae aeternae! Et illos quos sanctificare non possum conor a malis operibus eorum dimovere et ad servitium Domini allicere; cum viros istos demitto, eis dico: prout *per*[16] *caecitatem cordis et ignorantiam*[17] haec peccata admisisti, (f. 228) possibilis est tibi paenitentia; sed in vita communi valere non potes, abi solus in locum, secede, in ascesi magis ac magis assidua exercitare, ieiuna, ora ad Dominum die et nocte in multis lacrimis propter peccata tua admissa, ut tibi ignoscat Dominus; tibi sedulo attende ne has impudicitias renoves; ne assentias his pravis consiliis quae perficienda diabolus in cor tuum iniciet. Hunc habeo sermonem coram singulis huiusmodi * viris, ut *mundus sim a sanguine*[18] eorum apud Deum in die magni iustique iudicii, et ne dicant: locum nobis non dedit in Domino paenitendi ». Virum autem alexandrinum de quo dixerat « zizania est » seorsim introduxit; et ubi eum ad fratres introduxit, asceses assiduaque exercitia perficienda imposuit ei, ut e tormentis

[14] *Supportantes invicem* sunt Pauli (*Ephes.*, IV, 2); reliqua vero [*et orate pro*] *invicem ut salvemini* sunt Iacobi (V, 16). — Av f. 83r et Am p. 515v habent: « ... sancti apostoli Pauli dicentis: *neque molles neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt* (I *Cor.*, VI, 9-10); et iterum: *in his eratis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu et in spiritu Dei nostri* (VI, 11). Quod ad eos... » etc. Videtur librarius vel censura pudica usum esse, vel probabilius locum archetypi sui mutili retractavisse. — [15] Lege: ⲉⲑⲃⲉⲛⲏ <ⲉⲑⲛⲏ>ⲟⲩ; cf. Av et Am. — [16] Incipit S[5] fragm. 15. — [17] Cf. *Ephes.*, IV, 18. — [18] Cf. DAN., XIII, 46; MATTH., XXVII, 24.

salvaretur; etiam atque etiam ei praecepit ut quotidie usque ad vesperam ieiunaret[19] et nullum cibum coctum comederet; et dixit ei: « Si ⌈aliquando aegrotaveris[20], ne morbo tuo credas, (p. 300) nisi me prius monueris et probaverim utrum a Deo sit an a daemonibus tibi insidiantibus ea mente ut iterum te doment operibus in quibus antea fuisti in mundo; et si noverimus morbum esse secundum Deum, fratri aegrotantibus praeposito mandabo ut tui curam bene habeat donec sanatus sis; solum animam et corpus tuum serva abhinc in puritate, quominus assentias malis consiliis quae in cor tuum iacturus sit diabolus; propere fac ut vigiles cum lacrimis in oratione ad Deum ex toto corde tuo, ita ut pravus spiritus cui habitaculum fuisti a te discedat et cum cordis humilitate dic: cum omnia mihi praecepta peregero, vix vitam merebor et ignem inextinguibilem vermemque inquietum tormentorum effugiam. Si fratres aliqui te viderint exercitari et, nescientes iniquitates a te admissas, te laudaverint, confestim dic * in corde tuo cum lacrimis: (f. 229) Domine Iesu, si prava opera ⌈quae coram te die ac nocte admisi et impuritates impudicitiasque quas etiam nunc admitto[21] noscerent illi, non solum verbis me non laudarent, sed[22] et faciem meam aspicere nollent prae foetore peccatorum meorum coram Domino admissorum. Videas et caveas ne ullam superbiae vanaeque gloriae cogitationem cor tuum occupare sinas, neve peccata tuis superponas peccatis et in aeterna tormenta proiciaris. Si quis tibi maledicit aut aliquomodo malefacit, grato animo sustine et in corde tuo dic: ecce saepe Deum concitavi operibus meis pravis et impuris! Obsequere pareasque fratribus in omni humilitate et mansuetudine et sine murmuratione iuxta regulas nobis in vita communi positas; Deus videat humilitatem laboresque tuos, et dimittat tibi peccata et iniquitates et impuritates quas coram ipso die et nocte admisisti; neve proiciat te in mala tormenta in aeternum mansura. (p. 302) Quidquid egeris, fac in timore Domini; nihil secundum humanam existimationem agas, ne forte labor tuus sit inanis, neve diabolus iterum te domet et iterum

[19] S⁵, Av et Am addunt: « sine adipe ». — [20] Quid sit: ⲁϥϣⲁⲛⲉⲣⲟⲩⲥⲱⲧⲡ me fugit; S⁵: ⲉϣⲱⲡⲉ ⲉⲕϣⲁⲛϣⲱⲛⲉ ⲛ̄ⲟⲩⲥⲟⲡ « si eveniat ut aegrotes »; ita etiam S¹³, Av et Am. — [21] Omittunt S⁵, Av et Am. — [22] Desinit S⁵ fragm. 15.

ei servias ». Vir autem, cum ea omnia patre nostro Pachomio audiisset, adeo exercitatus est ut asceses laboresque quos perficiebat fratres mirarentur; nemo enim inter fratres erat qui sciret * illum a patre nostro Pachomio hoc exercitandi mandatum accepisse, sed proprio motu ea perficere putabant; et nemo etiam inter eos erat, nisi pater noster Pachomius et frater qui ab Alexandria illum adduxerat, qui sciret qua ratione opera impura patrasset antequam ad vitam monachorum veniret. Et pater noster Pachomius, vere iustus, fratrem qui illum adduxerat ab Alexandria vetuerat edocere quemquam fratrem peccata et impudicitias ab illo Alexandriae patratas. Alexandrinus autem ille erat iuvenis corpore validus; novem annos optime exercitatus est, sed sine timore Domini nec paenitentia; (f. 230) ad opera malarum suarum cupidinum impurasque voluptates iterum inclinavit. Factum est autem, postquam novem annos patienter exercitatus est, quod iterum impuro consilio indulgeret ad insidiandam occidendamque animam. Pater autem noster Pachomius per Spiritum sanctum in se habitantem agnovit et vidit in illo daemonem, cuius mala consilia acceperat ille adeo ut aggrederetur denique magnam pessimamque iniquitatem consilio patris eius diaboli perficere; tunc pater noster Pachomius illum vocavit in medium fratrum omnium et interrogavit de consilio quod exsequi in animo habebat nulla ratione timoris Dei viventis habita. Ille autem, cum timorem Domini in ore patris nostri Pachomii videret, turbatus est et confestim confessus est peccatum cui exsequendo sine verecundia assensus fuerat. * Et confestim expulit illum e fratribus. Fratres autem omnes, his auditis, valde veriti sunt Dei gratiam in patre nostro Pachomio habitantem, et laudaverunt Deum.

108. (p. 304) Factum est autem etiam aliquando, cum ad meridiem egressus esset ad iuncos metendos pater noster Pachomius cum aliquibus fratribus et pervenisset ad monasterium Tabennesi, quod fratres huius monasterii visitare vellet. Postquam ingressus est cum fratribus simul meditantibus et omnes ibi fratres osculatus est, vidit aliquos[1] fratres peccato diabolico

108. Av f. 85ᵛ. — [1] Suspicor ⲉⲟⲩⲁⲓ <ⲟⲩⲁⲓ> ; postea enim agitur subito de pluribus fratribus; Av ubique loquitur de pluribus. Ideoque restituimus ubique numerum pluralem.

sauciatos. Nocte autem sequenti ad Dominum hac de re oravit his verbis: « Domine Deus omnipotens, *Pater Domini nostri Iesu Christi*[2], Deus benedictus, qui locum sanctum tuum congregasti, scilicet sanctam communitatem hanc, quae initium habuit per sanctos patres nostros Apostolos quos elegisti et dilexisti, et quam postea commendasti nobis servis tuis ut habitemus in omni puritate et laudemus benedicamusque nomen tuum sanctum in saecula saeculorum amen! Oramus benignitatem caritatemque tuam, Deus, pro miseris inter nos qui ingrato sunt animo erga benignitatem munificentiamque tuam; (f. 231) qui sibi ipsis elegerunt fieri potius vas diabolicum quam *vas electum*[3] habitationemque sancti Spiritus tui omnium servatoris; qui caedem aliorum in sancta domo tua fecerunt accipientes prava consilia * in corde suo ab astuto diabolo iniecta, cuius facti sunt filii; attamen non ita Scripturas ignorant ut ad te pro eis orem, siquidem veram tuam doctrinam noverunt et ipsi ceteros secundum tuam sanctam voluntatem ambulare docent; revera peccata et impuritates quas vitandas ceteros docent eaedem sunt in quibus ipsi vivunt quas patrant et impie perficiunt. Tamen nullum illis malum afferre possum sine tua sancta voluntate; nunc ergo, Domine Deus sanctorum omnium, eodem modo quo mihi malas illorum iniquitates revelasti ita etiam indica mihi quomodo cum illis agendum sit »! Et dum orat, apparuit ei angelus Domini valde terribilis, qui evaginatum manu tenebat gladium igneum, et dixit patri nostro Pachomio: (p. 306) « Sicuti *nomen* illorum *e libro vitae delevit* Dominus[4], ita et tu illos e fratribus expelle, quia non sunt indocti; nam et viris indoctis impuritates huiusmodi videntur abominationes coram Deo ». Mane autem facto, saecularibus illos induit vestibus et dixit: « Ite et secundum vestem cuius opera patratis agite ». Et expulit illos e fratribus, expleto in illis verbo prophetae: *de domo mea eiciam eos, et non amplius addam ut diligam eos*[5]. Et postea sedit et verbum Dei cum fratribus locutus est, et negligentiis illorum quos expulerat eos terrebat; et in multis lacrimis valde deflebat miseriam * in qua impuritatibus die ac nocte

[2] Cf. *Ephes.*, I, 3. — [3] Cf. *Rom.*, IX, 21-22. — [4] Cf. *Psalm.* LXVIII, 29; *Exod.*, XXXII, 32-33. — [5] *Psalm.* IX, 15.

patratis lapsi sunt illi. Postea surrexit et oravit cum omnibus fratribus; et tranquille singuli recesserunt in domos suas verbum Dei meditando. Pater autem noster Pachomius et fratres ad metendos iuncos secum adducti abierunt meditando, donec ad septentrionem in Phbou pervenerunt.

109. (f. 232) Postero autem die ante fores monasterii adductus est vir a daemonio valde vexatus. Certior factus et rogatus a fratre ianitore, ipse confestim surrexit et egressus est ad illos cum duobus fratribus comitantibus. Ubi autem ad virum venit, sodales eius interrogavit: « Quid est nomen eius »? Respondit vir daemone oppressus: « Centum[1] est nomen meum ». Et pater noster Pachomius dixit ei: « O vilis, unde nosti virtutem 'centum' »? Et declinans in terram caput suum, dixit patri nostro: « Hoc verbo me prehendisti ». Pater noster iterum dixit ei: « Ubi aquam potasti »? Ille autem respondit: « In mari bibi ». Pater noster iterum dixit ei: « Immunde spiritus, dic veritatem: ubi aquam potasti »? Et humiliter respondit: « In mari inferiore bibi ». Et pater noster iterum dixit ei: « Indica mihi quis tibi hanc dedit licentiam virum quem opprimis ingrediendi »? Impurus spiritus respondit ei: « Qui crucifixus est dedit mihi hanc in istum potentiam ». Quinto dixit ei: « Immunde spiritus, si licentiam istum habitandi dedit tibi, (p. 308) indica mihi clavos infixos in eo qui * cruci affixus est ». Et confestim striduit dentibus et dixit: « In hoc etiam me vicisti et pudore affecisti ». Tunc pater noster iustus extendit manus suas et oravit ad Dominum ⌜cum multis precibus et lacrimis his verbis: « Oro te, Domine Iesu Christe, pro famulo tuo, ut hunc respicias in tua misericordia miseratione que multa, et, o benigne, ut ab illo pravo daemone sanes eum, quippe qui similitudo imagoque tua est; te enim solum decet gloria honor et imperium cum Patre tuo optimo et sancto tuo Spiritu nunc et semper et in saecula saeculorum, amen ». Et cum diceret amen, signavit illum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti[2], et increpavit immundum spiritum qui ab illo exivit. Et vir sana-

109. Av f. 86v; Am p. 560. — [1] Sahidice fuit: -ϣⲉ, id est, vel « centum », vel « lignum ». Av et Am legerunt hic et infra: -ϣⲉ « lignum ». — [2] Totam sententiam omittunt Av et Am.

tus est virtute Christi precibusque patris nostri Pachomii. Viri autem omnes, qui adstabant, visis eventis, confestim laudaverunt Deum patremque nostrum Pachomium.[2]

110. (f. 233) Ex aliquo etiam monasterio adductus est ad eum frater a daemone tentatus qui, dum loquebatur cum patre nostro Pachomio, recte respondebat perinde ac si nullomodo a daemonibus tentaretur. Cum fratribus qui hunc ad se adduxerant locutus est: « Dico vobis: hic daemon in illo se occultat quominus mecum per vocem viri loquatur; sed corpus eius totum explorabo, donec in quo eius membro abditus sit sciam ». * Et cum corpus eius totum exploraret, pervenit ad digitos manuum et dixit fratribus: « Ecce, in digito manus eius viam inveni qua ingressus est daemon ». Et cum ad collum, ubi se continebat daemon, pervenisset, voce magna exclamavit; et vir vehementer subsilivit; et vix eum continuerunt quattuor viri. Pater autem noster Pachomius locum quem tenebat daemon apprehendit, et Christum oravit ut virum sanaret; et dum orat, exivit a viro daemon; et vir confestim sanatus est precibus patris nostri Pachomii. Fratres autem omnes qui viderant eventa Dominum *laudaverunt in mirabilibus eius*[1] per sanctos eius patefactis.

111. (p. 310) Factum est etiam quod vir ad fores monasterii veniret vitae monachorum cupidus; hunc autem tenebat daemon qui eum saepe excutiebat; sed vir erat decens humilisque valde. Cum faciem eius intuitus esset pater noster Pachomius, vidit in eo daemonem; statim virum seorsim abduxit et oravit Dominum ut a daemone eum sanaret. Impurus spiritus respondit his verbis: « Quid tibi mecum, Pachomi? quid me ex hoc viro expellere intendis? num prohibeo quominus in aliquo opere faciat omnem Dei voluntatem? haec enim est domus mea quam mihi usque ad mortem istius dedit Dominus; tamen, si me expellendum persecutus fueris, tunc * tuum non recusabo mandatum, sed hunc occidam et ex eo exibo; ea enim mihi data est potestas ut ita cum illo agam ». Quae autem cum audiisset pater noster

[2] Av et Am: « et pater noster Pachomius reversus est in monasterium cum fratribus ».

110. Av f. 87r; Am p. 561. — [1] *Sirach*, XXXVIII, 6.

111. Av f. 87v; Am p. 562.

Pachomius, denuo Dominum ut virum a pravo daemone sanaret oravit; et dum pater noster Pachomius orabat ut Dominus viri misereretur, ex eo pravum spiritum expelleret et eum sanaret

[*paginae* 311-318 *perierunt*] [1]

115. Postea venit etiam vir ad fores monasterii vitae monachorum cupidus. Pater noster Pachomius egressus est ad videndum eum et interrogavit: « Vitam monachorum appetis » ? Ille dixit ei : « Usque ad hunc diem res mihi curae erat, sed negligentiis meis ad vana huius saeculi opera allectus sum; hodie vero, dum iter faciebam, audivi supra me vocem me vocantem. Ego quidem respondi et dixi: quid est, Domine? Et vox dixit mihi: quousque negligens eris et recusabis paenitere quod peccaveris ! nunc ergo abi, vitam monachorum apud Pachomium Tabennesiotam age, et operam da[1] ut animae tuae caveas priusquam moriaris et in tormenta pro peccatis tuis proiciaris! Nunc ergo, domine sancte pater, ecce ad te venio vitae monachorum cupidus ». Pater noster Pachomius dixit ei: « Si secundum vocem quam a Domino audiisti vis valere, * tecum et nos gaudemus! revera si te, prout mandavero tibi, ambulare viderimus, tunc paratus sum, sicut pater, ad curam tui bene gerendam in omnibus, saluti[2] tuae necessariis; (p. 320) dumtaxat nulli huius saeculi curae, sed in corde tuo Domini consilio et timori soli attendas, operando salutem animae tuae solum ». Vir respondit ei: « Si me probaveris, spero fore ut tibi satisfaciam auxilio tuarum precum sanctarum, o domine pater ». Pater autem noster Pachomius valde laetus accepit illum ad vitam monachorum. Ille autem, ubi monasterium ingressus est et fratrum vidit exercitationem et humilitatem secundum Deum et amorem erga Deum, incubuit et ipse magnis ascesibus et assiduis exercitiis et multis vigiliis et copiosis ieiuniis, humilis factus sicut parvulus simplex et innocens. Si quis illum duris verbis redarguebat, vel verberabat, vel contemnebat, nullomodo contristabatur neque

[1] [112] = Av f 88r; Am p. 563. — [113] = Av f. 89r; Am p. 542: — [114] = Av f. 89v; Am p. 542.

115. Av f. 91r; Am p. 545. — [1] Lege cum codice: ⲁⲣⲓⲁⲅⲱⲛⲓⲍⲉⲥⲑⲉ. — [2] Loco ⲥⲱⲙⲁ, lege ⲟⲩϫⲁⲓ.



irascebatur, sed in corde suo dicebat: « Fuit tempus cum et ego Dominum concitavi operibus meis malis, et par pari non reddebat[3].

[*paginae* 321-424 *perierunt*][4]

165. ... solum modo da operam ut instaures regulas, quas nobis pater noster iustus Pachomius constituit, legesque sanc- * p. 156. tas, quas *sequendas nobis tradidit; revera illum audivimus aliquando benedicentem te benedictionibus quas moriturus Iacob, circumstantibus cunctis filiis, filio suo Ioseph recitavit. Sicut enim Ioseph tribulationem magnam aerumnasque multas in principio sustulit, in fine vero a Deo accepit gloriam magnam honores multos potestatemque ingentem ita ut tempore famis enutriret fratres suos simulque gentem suam totam, qui per totam vitam suam sibi subderentur gratoque in omnibus essent animo[1]; ita et tu fuisti quidem in principio abiectus et minimus prae tua multa humilitate et modo quo omnibus parebas, nunc vero Dominus exaltavit te ut nos omnes enutrires in traditionibus, quas sequendas tradidit nobis pater noster iustus Pachomius, mandatisque Domini nostri Iesu, quae audivimus in sanctis Scripturis ».

166. (p. 426) Postquam coram ipso bonam confessionem hanc confessi sunt dicendo « parati sumus ad subeundam ditionem sanctae congregationis patris nostri iusti », tunc Theodorus reliquit octo hegumenos in Phbou, qui mattas texerent sicut fratres omnes; ipse vero cum duobus fratribus abiit ad omnia et singula monasteria visitanda; et verbo Dei recreabat illa * p. 157. in legibus patris nostri iusti. Cum autem[1] regulas *ab illis servandas ut animae eorum salvarentur disposuisset, tunc propere

[3] Quoad ea quae sequebantur videsis Av f. 91ᵛ et Am p. 546. — [4] Quot capitula perierint nescimus; computatis vero paginis perditis, reputamus e praecedentibus circiter L capitula periisse; ideoque pergimus cum numero 165.

165. S⁶ p. 277, l. 29. — [1] Cf. *Genes.*, XXXIX, et sq.

166. S⁶ p. 278, l. 10. — [1] ⲛⲉⲙⲛⲓⲕⲁⲛⲱⲛ ⲛ̄ⲧⲁϥⲥⲉⲙⲛⲏⲧⲟⲩ ⲛⲱⲟⲩ ⲉⲑⲣⲟⲩⲁⲓⲧⲟⲩ possunt coniungi cum praecedentibus; sed in hac hypothesi videntur superflua. Suspicor archetypum sahidicum habuisse: ⲁⲩⲱ ⲛ̄ⲕⲁⲛⲱⲛ ⲛ̄ⲧⲉⲣⲉϥⲥⲙⲛ̄ⲧⲟⲩ ⲛⲁⲩ ⲉⲧⲣⲉⲩⲁⲁⲩ etc.; ideoque iungenda cum sequentibus; cf. S⁶ p. 278, l. 16-18.

reversus est in Phbou. Et monasteriorum hegumeni, quos in Phbou reliquerat, ubi audierunt ad se reverti patrem nostrum Theodorum, magno cum gaudio surrexerunt et eodem modo, quo cum patre nostro Pachomio agere solebant quando ad visitanda monasteria accedebat, obviam ei cum omnibus fratribus egressi sunt propter gratiam Dei in eo habitantem. Et ubi eos amplexatus est Theodorus progressus est cum eis simul meditantibus donec monasterium ingressi sunt; ambulabat autem corde valde humilis et facie tristis; nolebat enim sibi vanam huius saeculi gloriam ab hominibus tribui, qui semper solum appetebat voluntatem Dei et humilitatem coram fratribus omnibus.

167. Postea etiam oravit ad Dominum ut edoceretur quid cum hegumenis monasteriorum ageret. Et Dominus audivit preces eius et revelavit ei. Ecce, extasis et visio in eum descenderunt: vidit phantasma patris nostri Pachomii * veste alba tamquam * p. 158. nive[1] amictum, et duobus splendidis Domini angelis comitatum [.........] (p. 428) Vestis enim, qua illum in visione amictum vidit[2], similis erat regiae purpurae, et fulgebat tamquam fulgur[3]. Postquam splendorem hunc Theodoro ostendit, officia principum congregationis ei exposuit et singulorum nomina recitavit cum nomine monasterii in quo quisque hegumenus constituendus erat; et iussit eum instituere illos, non in priori, sed in novo monasterio, ut apotactici fierent. Factum est post visionem quod Theodorus congregaret omnes in Phbou hegumenos et seniores [...[4]

[*paginae* 429-458 *perierunt*][5]

180. ... * patri nostro Theodoro his verbis: « Pater, nosne * p. 159. omnes moriemur in hac visitatione »? Respondit eis: « Minime; sed solum tringinta viri, quos vidi inter nos discumbere ». Et factum est quod revera eveniret sicut dixerat, et magnus erumperet morbus inter eos. Tunc fratres dixerunt ei : « Forsan moriemurne ⸢omnes[1]? tunc, quid nobis eveniet? ecce exundat

167. S⁶ p. 278, l. 27. — [1] Cf. MATTH., XXVIII, 3. — [2] Lege: ⲉ]ⲧⲁϥⲛ[ⲁⲩ. — [3] Cf. MATTH., XXVIII, 3. — [4] Quoad ea quae sequebantur cf. S⁶ p. 279, l. 16, deinde S⁵ p. 189, l. 15. — [5] Conicimus capitula circiter XIII periisse.

180. G¹ § 139. — [1] Lege: ⲧⲉⲛⲁⲙⲟⲩ <ⲧⲏⲣⲟⲩ>.

aqua et incipit occupare viam quae ducit ad montem »! Respondit eis iterum: « Si viam quae ducit ad montem occupat aqua, credo fore ut Dominus propter angustias fratrum prohibiturus sit quominus quis amplius moriatur ». Responderunt ei aliqui fratres: « Nostrine curam usque ad hanc rem minimam gerit Dominus »? Tunc dixit eis pater noster Theodorus: « Dico vobis, ipse nostri curam semper gerit. Revera si saepe nos affligit, tamen nostri etiam in hoc curam gerit; nam ipse cognoscit quid nobis prosit; nos vero semper et in omnibus grato simus animo erga eum. Sed quod dixi eveniet; confidimus enim verbo Evangelii: *petite et accipietis* »[2]. (p. 460) Et, uno verbo, evenit sicut dixerat: nemo inter fratres abhinc decubuit usquedum super terram siccatae sunt aquae, et etiam triginta a Deo visitati sunt viri. Fratres autem * mirati sunt spiritum Dei in illo habitantem; nam nullum *transivit verbum*[3] ex his quae dixerat.

181. Cum etiam aliquando cum fratribus laboris causa extra monasterium in quodam loco pater noster Theodorus esset, inter laborem cecidit metus in eos. Cum autem pater noster Theodorus videret eos metuere, innuit eis: « Oremus ad Dominum ». Et dum orabant, adspexit in caelum et vidit animam quam psallendo deducebant angeli Dei in locum eius requiei. Dum autem haec videt, conversus est ad fratres; et adhuc eo loquente, e monasterio nuntiatum est iuvenem Paphnutium[1] quievisse. Tunc confestim cum fratribus monasterium petivit ad videndum hunc quem visitaverat Dominus, ut eum sepeliret et in montem apud fratres monasterii vita functos auferret.

182. (f. 2) Factum est etiam aliquando quod apud iumenta transiret et inter illa videret taurum specie pulchrum; de quo gloriabantur aliqui fratres carnales, in quorum cordibus nondum vigebat timor Dei, et insipientes. Ipse autem recordatus est quomodo Apostolus *servos Domini* hortaretur ad *malos*

[2] IOHAN., XVI, 24. — [3] Cf. LUC., XXI, 33.

181. — [1] Estne magnus oeconomus fraterque Theodori? Secundum G[1] § 114, Paphnutius magnus oeconomus eadem peste simul ac Pachomius aliique multi sublatus est; et § 124, defuncto Paphnutio successit Psarhef, auctore Horsiesio.

182. [1] I *Tim.*, II, 24-25.

sustinendos et eos qui contradicunt cum mansuetudine docendos, ut Dominus daret illis paenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscerent a laqueis diaboli[1] daemonumque eius; patienter cum illis egit etiam pater noster * Theodorus, nec illos ut auctoritate praeditus redarguit ut ab illis auferret quod ad malum scandalizabat, sed oravit his verbis: « Domine Iesu qui in omnibus ad salutem animarum nostrarum laboras, nunc percute hoc iumentum, et moriatur, ne illi miseri in idololatria inveniantur postquam mundum malasque eius cupiditates deseruerunt ». Et postridie subito cecidit taurus et mortuus est.

183. (p. 462) Factum est etiam aliquando quod navis fratrum stuppis, vestium causa, onerata mergeretur; et, ubi Theodoro navem mersam esse nuntiatum est, fratres valde contristati sunt. In illo die cum fratribus de Scripturis ex more loquebatur, et dixit eis: « Accidit ut aliqui inter vos tristati sint quia navem stuppis oneratam submersam audierunt; si divitias, quae a parentibus nostris erant, cum gaudio deseruimus propter nomen Domini nostri Iesu Christi dum adhuc in ignorantia degebamus, nunc vero, postquam veram Domini scientiam accepimus, contristabimur propter quod amisimus! Semper legimus Scripturas et meditamur, et non attendimus verbo quod dixit Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum*[1]. Et quando habemus unde filii Iob iusti fiamus benedicendo Dominum in adversis quae patimur, tunc igitur, fratres, ne pusillo simus (f. 3) animo * adeo ut Deo nos probanti tribuamus ignorantiam. Revera opes omnes, quae sunt in congregatione, nostrae non sunt neque parentum nostrorum carnalium qui in mundo degunt, sed Domini nostri Iesu qui nos in unum congregavit; et si illas posuit ad necessitates nostras, largitiones et eleemosynae sunt quas nobis benigne facit; si autem illas a nobis auferat, gratias ei agamus, et fiat voluntas eius, prout nobis compertum est nihil eventurum nisi quod nobis profuturum sit. Nunquam igitur, fratres, contristemur, si quid nobis acciderit, sed contristemur potius de indigentia animarum nos-

183. S[6] p. 281. — [1] *Iob.*, I, 21.

trarum; et voluntatem Domini agamus. Ipse nostri curam in omnibus geret, sicut scriptum est: *quaerite potius regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis*[2]; *et nullius indigetis* »[3]. Etenim etiam in patre nostro Theodoro, quippe qui mandata[4] Domini nostri Iesu Christi nobis tradita servaverit, 5 adimpletum est verbum a Salvatore nostro in Evangelio dictum, (p. 464) prout discipulis suis dixit: *qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me; et qui diligit me diligetur a Patre meo; ego etiam diligam eum et manifestabo ei meipsum*[5]. 10

184. Factum est etiam aliquando, cum recumberet et dormiret pater noster Theodorus, quod angelus excitaret eum his *p. 163. * verbis: « Propere surge et ecclesiam pete; ecce, Dominus est ibi ». Ipse autem surrexit et secundum vocem sibi factam abiit; ambulabat enim cum magna suae conscientiae vigilantia et in- 15 concussa fide, prout mentem ad caelum semper tenebat et Dei gloriam videbat, sicut dixit psalmista David his verbis: *providebam Dominum in conspectu meo semper, positum a dextris meis ne commovear*[1]. Et cum ad ianuam ecclesiae venerit, intus prospexit, et ei species occurit: locus[2] in quo pedes speciei — 20 prout forma ei patefiebat — similis erat *lapidi sapphiri*[3] splendido; et os speciei intueri non poterat prae magna luce coram se assidue fulgente; (f. 4) et unus ex angelis Domino adstantibus dixit Theodoro: « Quare saepe non excitas fratres quominus tempore orationis in collecta preces Domino offerre inter- 25 mittant? nonne scis Dominum saepe *in medium eorum*[4] venire ut *confractos alliget*[5] et *delicta dimittat*[6] eis qui illa admiserunt »? Quae cum audivisset pater noster Theodorus turbatus est a metu in se dilapso, et dixit: « Ignosce mihi, Domine; nam si adhuc negligens fui, abhinc eorum non obliviscar ». Et post 30 visionem quam viderat perstitit timens ac tremens, recordatus *p. 164. totius Israel * olim in deserto[7]; qualis fuisset ipsis timor et

[2] MATTH., VI, 33. — [3] Cf. I *Thess.*, IV, 12. — [4] Incipit S^6 fragm. 6. — [5] IOHAN., XIV, 21.

184. S^6 p. 281; *Epist. Amm.* § 14. — [1] *Psalm.* XV, 8. — [2] ⲙ̄ⲡⲓⲙⲁ, lege: ⲡⲓⲙⲁ; cf. S^6 l. 25-26. — [3] EZECH., I, 26. — [4] Cf. MATTH., XVIII, 20. — [5] EZECH., XXIV, 16. — [6] Cf. MATTH., VI, 14. — [7] Desinit S^6 fragm. 6.

filiis et filiabus et uxoribus eorum, cum apparuisset Dominus terrens eos ne in eum peccarent; viderunt eum omnes supra montem Sina; mons totus plenus erat igne fulgoribus nubibus tenebris multoque sonitu tubarum; ideoque prae magno metu 5 subito in se dilapso clamaverunt ad Moysen (p. 466) his verbis: « Tu nobiscum loquere; ne Deus nobiscum loquatur, ne moriamur omnes et ignis comburat nos »[8].

185. Enarravit etiam nobis alias visionem quam ipse viderat pater noster Theodorus de regio stratego qui monasterium 10 Phbou horrendo modo cum omnibus copiis eius ingressurus erat. Postquam hoc vidit, enarravit fratribus his verbis: « Oportet regium strategum venire ad nos cum copiis eius ad tremorem et aerumnas nobis afferendas; sed confidite et confortamini, et nolite timere; certo enim Dominus animum eius sedabit; nam 15 edoctus sum eum nobis nullum malum esse allaturum ». Factum est autem eodem anno, dum Theodorus cum aliquibus in navicula comitibus ibat ad visitandos fratres, quod accederet ad monasteria quae visitare vellet in provincia Šmun sita; et ecce, occurrit eis dux qui meridiem petebat ad mandata sua exsequenda. 20 (f. 5) Pater autem noster Theodorus dixit fratribus suis comitibus: * « Revertamur ad meridiem; ducem enim hunc oportet *p. 165. monasterium Phbou adire secundum visionem quam paucis ante diebus vobis dixi nobis patefactam ». Ipsi vero, his auditis, non assentiebantur ut reverteretur, et dixerunt: « Post 25 tantos cruciatus quos ad huc veniendum sustinuimus, ecce accessimus ad fratres quos visitare volumus; et reverteremur! et illis non occureremus »! Cum autem non assentirentur fratres sui comites, iussit navem appellere, seorsim se recepit et cum aliquibus comitibus oravit. Dum orabat edoctus est cum 30 certitudine a Domino ducem quidem monasterium ingressurum sed pacifice a fratribus egressurum esse; et ita rediit ad suos comites. Nomen autem ducis huius erat Artemius; qui cum in eo erat ut monasterium adiret[1], iussit copias suas arma accipere et in equos ascendere quasi alio profecturas; et dolose noctur-

[8] Cf. *Exod.*, XIX et seq.

185. S^5 p. 198; G^1 §§ 137, 138. — [1] Incipit S^5 fragm. 21, sed disparibus verbis.

num iter faciens monasterium cum exercitu suo firmiter circumvenit. (p. 468) Mandavit copiis suis: « Si quis monachus ingressurus sit, ne prohibeatis; sed si egredi[2] voluerit, ne sinatis; si vero sint qui vobis parere noluerint, gladio occidite ». Factum est autem, cum in medium monasterium veniret, quod securim manu tenens sederet adstantibus praepositis et sagittariis. Et dixit fratribus per interpretem: « Patrem vestrum mihi adducite ». Responderunt et dixerunt ei: « Non est hic; abiit ad visitandos fratres ». Iterum dixit * eis: « Eum qui post illum primus venit mihi adducite ». Et ipsi vocaverunt hunc nomine abbatem Psahref antiquum virum. Dixit dux: « Huc adveni ad regium rescriptum exsequendum; audivi enim apud vos regis hostem e Perside latitare; nunc igitur hunc mihi tradite, et nullum vobis malum afferam; at si mihi tradere nolueritis, omnia monasteria vestra vastabo et vos dispergam ». Respondit ei abbas Psahref: « Nos viri sumus apotactici (f. 6) et simul congregati propter nomen Domini; et nullus apud nos regis hostis latitat; ecce autem, omnes mansiones nostrae in tua sunt potestate, mitte ut inquiras sicut vis ». Tunc iussit dux omnes fratrum mansiones inquirere. Toto autem monasterio inquisito, frater asceta pius nomine Domnius armenus genere[3] dixit dialecto graeca duci: « Rogamus te ut confidas tribus e nobis senioribus qui coram Domino tibi iurent hominem a te quaesitum apud nos non esse ». Respondit dux et dixit circumtantibus se: « Recte locutus est hic alienigena monachus ». Et ita confestim surrexit princeps fratrum abbas Psahref cum tribus aliis, et ingressi sunt ecclesiam ut duci iurarent. Ingressis autem illis dixit dux: « Hostis regis est Athanasius archiepiscopus; ipse est quem quaerimus; quia * propter hunc misit rex; et non invenientes eum audivimus apud vos latitare ». (p. 470) Respondit senior et dixit duci: « Athanasius quidem archiepiscopus pater noster est post Deum, sed tibi coram Deo iuro illum non solum apud nos latitare sed me faciem eius nunquam vidisse ». Et postquam sic iuravit, dixit eis dux: « Orate pro me priusquam a vobis abeam ». Illi autem dixerunt ei: « Pater noster prohibuit quominus, donec

* p. 166. — * p. 167.

[2] Probabilius legendum: -ⲟⲩⲱϣ ⲉⲓ ⲉⲃⲟⲗ. — [3] Desinit S^5 fragm. 21.

instauraretur Ecclesia, cum aliquo precaremur, Arianorum causa »[4]. Dixit eis dux: « Num episcopus haereticus sum et ego? nonne peccator sum? quare pro me peccatore non oratis »? Illi autem dixerunt ei: « Mandatum a patre nostro nobis datum transgredi non possumus ». Cum autem videret dux eos non assentiri ut secum orarent, iussit eos ex ecclesia egredi ut in ea cum suis comitibus oraret; et, ubi finem orandi in ecclesia fecit exivit. Et caenaculum fratrum inspexit, et miratus est escas quas animadvertit fratres comedere; misere enim edebant, cum re omnino angusta fruerentur. (f. 7) Praeses autem Thebaidis cum toto suo praesidio in ripa fluminis expectabat donec ad se reverteretur dux; ambo enim simul navigaverant. Cum autem dux occurrisset ei, dixit: « Revera, si sint in terra ascetae, aliquos vidi * scilicet monachos quos adivi congregationis Pachomii; nam vidi eos nulla congrua veste indutos, nullo calceamento his diebus tanto frigore foris vigente calceatos; reipsa adeo de eis contristatus sum ut animus ad vestes quibus induebar dono eis dandas me impelleret; et cum locum in quo comedunt inspexissem, nullas alias escas eis esse nisi solas herbas inveni ». Quae cum audiret contristatus est valde de illis et ipse praeses, maxime vero quod ipse monasterium non adierat, non oraverat et institutum vitae sanctorum fratrum congregationis patris nostri Pachomii non viderat. In die autem quo e Phbou exivit strategus, pater noster Theodorus in provincia Šmun sedit et locutus est cum fratribus; (p. 472) et de regio stratego eis narravit: « Per benignitatem Dei et precibus patris nostri iusti qui est apud Deum et precibus patris nostri pii abbatis Horsiesii, omnia erga nos consilia mala in corde ducis posita evanuerunt; e Phbou exivit et nullum fratribus malum attulit. Nunc igitur scriptum est: *quid retribuam Domino pro omnibus quae dedit mihi?*[5] Nunc igitur erga nostrum Deum bonum et benefactorem grato simus animo ». Fratres autem mirati sunt ingenium lumine plenum patris nostri Theodori, quomodo tantum distans magnam visionem hanc vidisset.

* p. 168.

[4] Cf. ATHANAS.: *Epist. ad monachos*, (*Patr. Gr.*, XXVI, 688). — [5] *Psalm.* CXV, 3.

186. * [p. 169.] Et cum in omnibus monasteriis fratres visitasset, propere ad meridiem reversus est in Phbou. Postea cum fratribus verbum Dei locutus est ita dicendo: « Vobis testificor, fratres, nisi semper verbis sanctarum Scripturarum resipuerimus, hostis a nobis timorem Domini auferet, sui vero timorem in nos inducet; et opera eius mala agemus et Deum qui nos creavit iratum faciemus. (f. 8) Ceterum parabolam vobis dicam, ut Deum semper timere discatis et ne in Deum qui nos creavit peccetis: Putate rupem usque ad nubes excelsam, et angustam, quattuor cubitus latam et infinite ex utraque parte altam; quae rupes assurgit ab ortu ad occasum solis valde praerupta. Quando baptizatur homo et vitae monachorum se vovit, obsignatur et procedit ad orientem. Nunc igitur reputemus altitudinem et viae angustias; adeo ut, si quis paululum declinaverit, iam non amplius apparebit nec eius memoria reperietur [1]. Qui ergo declinaverit a via in media rupe sita et a sinistris ambulaverit, in periculo versabitur [2]; a sinistris enim est concupiscentia carnis. Qui vero a dextris ambulaverit, in periculo etiam versabitur; ibi iterum est superbia cordis. Hi sunt ex utraque rupis parte gurgites, * [p. 170.] in quibus si ambulaverit anima proicietur in tartarum inferni et in ignem inextinguibilem. (p. 474) Qui vero recte ambulaverit, cum ad orientem pervenerit Salvatorem inveniet in throno excelso sedentem, circumstantibus ex utraque parte angelorum exercitibus cum aeternis coronis quas laete tribuunt his qui recte ad Salvatorem pervenerint [3]. Si quis autem interroget: quando quis aliquando subicitur vel in unam ex his, scilicet concupiscentiam et superbiam, rapitur, iamne periit, an deinceps paenitentiae locum habet? Ego quidem ei respondebo: Virum, quem paenitet, etiamsi in eo est ut inconsulto [4] cadat, tamen non sinet Dominus omnino perire, prout scriptum est: *mei autem pene moti sunt pedes, etc.* [5]; deinde edocebit eum gratiam quam ei tributurus est flagello morbi vel afflictione vel

186. G¹ §§ 140ᵇ, 141, 142. — [1] Cf. *Sap.*, IV, 19. — [2] Cf. *Didache*, XII, . — [3] Correctio ϣⲁ<ⲧⲉϥⲓ̈ ϣⲁ>ⲣⲟϥ est superflua; ϣⲁⲣⲟϥ sufficit, nam G¹ p. 88, *17*: τὸν ὀρθῶς πρὸς αὐτὸν πορευόμενον. — [4] -ⲙⲉⲧⲁⲧⲉⲙⲓ est correctio manus recentioris, ideo sensus est dubius; cf. G¹ p. 88, l. 23. - [5] *Psalm.* LXXII, 2.

pudore culpae admissae (gratias agat Domino?) [6], ut attendat et medium viae angustae teneat donec transierit, et ne incipiat gradu deici; nam via quattuor cubitus est lata. (f. 9) Qui declinaverit a via similis est Iudae, cui multum benefecit Deus, et qui miracula multa, etiam * [p. 171.] resurrectionem mortuorum, vidit, et qui marsupium tenuit, et cum Domino comedit; et in his omnibus non intellexit gratias et honores et laudes sibi a Domino nostro Iesu Christo tributas; quibus dignus non erat; deinde, cum a via recta declinasset, avaritia periit et proditor factus est [7]. Bonos vero viros, quamquam paululum negligentes, fundere sicut argentum solet Dominus, scoriis purgat, et purificantur; propterea dixit beatus David: *ego autem in multitudine misericordiae introibo in domum tuam, adorabo ad sanctum templum tuum in timore tuo; Domine, deduc me in iustitias tuas* [8]. Si hic vir iustus et propheta ita locutus est, quanto magis nos infirmi peccatores! Illud etiam reputemus lucrum animarum nostrarum, quod a patre nostro iusto audivimus e sententiis sanctarum Scripturarum in quibus intellectus eius gratia Dei illuminabatur. (p. 476) Dixit enim: « Si vir volens de magno peccato absolvi derideatur semel, sibi ipsi dicat: ecce, nummum lucratus sum [9]. Et si secundo derideatur, iterum dicat: alterum lucratus sum. Et ita paulatim magnas assequetur divitias ». Revera nisi hanc mentem in se firmaverit [10], non poterit imperare irae aliisque peccatis omnibus quae in cor nostrum a diabolo ea mente inicientur ut illa admittamus et, sicut ipse, a Deo alienemur. * [p. 172.] Si autem egerit sicut ille qui semel contumeliis affectus ulciscitur (?) [11], quid altera vice aget? et praesertim si pluries maledictis compellatur, quid etiam aget? Re quidem vera Dei mandata *desiderabilia super aurum argentum et lapidem pretiosum, et dulciora super mel et favum,* sicut scriptum est [12]. Quis vero vir prudens et sapiens unquam dicet viro qui panem candidum sibi porrexit: semel

[6] Desunt in G¹; videtur enim exclamatio interpolata. — [7] Cf. Iohan., XII, XVIII. — [8] *Psalm.* V, 8. — [9] Cf. Matth., V, 39. — [10] Lege: ⲁϥ<ϣⲁⲛ> ϣⲧⲉⲙⲧⲁϫⲣⲉ-. — [11] ⲓⲥ ⲃ̄ in sensu: « vel bis » est absurde scriptum. G¹ p. 89, l. 4: ἐὰν γὰρ γένηται ὡς βίᾳ βαστάζων ὀνειδιζόμενος ἅπαξ Inde suspicor sub ⲓⲉ ⲃ̄ latere idem ac ὡς βίᾳ; puta sahidice fuisse ⲣ̄ϩⲃⲁ. Ceteroquin negatio ⲁⲛ, addita alia manu, est delenda. — [12] *Psalm.* XVIII, 11.

nunc te sufferam, sed si id iterum egeris, oculos tuos eruam? (f. 10) Nonne hunc diliget propter quod sibi porrexerit? Hic est etiam[13] modus virorum piorum: non solum enim cum persequentibus se bono sunt animo, sed etiam pro eis orant secundum mandatum Domini nostri Iesu Christi[14], cuius instituentur haeredes[15] gloriae benedictionis et bonorum aeternorum in regno eius cum sanctis eius. O homo, quid mercede dignum egisti, ut haeres Christi fieres? Num persecutionem passus es, num contemptus, num occisus sicut Christus? Fuistine grato animo in his omnibus? Omnino quidem gloria et commoda quibus in hoc mundo fruitus es merces sunt sufficiens laborum levium quos in hoc mundo tulisti; ceterum multa est erga nos benignitas Dei; similis est Deus viro nobis dicenti: *[p. 173.] « Omnia vasa fictilia quae sunt in domo vestra mihi date ut ea confringam, et ea commutabo cum auro argento lapidibusque pretiosis ». Et si haec non amplius intelligimus, verbum scriptum apprehendet et nos: *homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis*[16]. (p. 478) Dominus autem per gratiam suam potest nos adiuvare ad resipiscendum, ut eius voluntatem semper agamus, mandata servemus et bona aeterna consequamur ».

187. Quae autem cum dixisset pater noster Theodorus, aliquis frater senior interrogavit eum his verbis: « Pater sancte, quare, si quis mihi verbum asperum profert, confestim irascor »? Respondit ei pater noster Theodorus: « Haec non est miranda res; nam, si securi acanthus percutitur, fere statim gummi emittit ». Interrogaverunt autem et fratres: « Quae est ista sententia »? Respondit eis: « Virum Dei imaginantur esse vineam: si quis fructum eius carpit et conculcat, nihil aliud profert nisi vinum dulce; hoc est, si vir fidelis cogitatione premitur, nihil aliud profert nisi dulcedinem verborum Dei in Scripturis scriptorum; vir vero carnalis et iracundus nihil aliud profert nisi amaritudinem et verba inutilia viris fidelibus *[p. 174.] qui sustinent quidquid eis a Deo accidat. (f. 11) Dico

[13] ⲁⲛ = ⲟⲛ, cf. G¹. — [14] Cf. Matth., v, 44. — [15] Cf. *Rom.*, viii, 17: — [16] *Psalm.* xlviii, 13.

187. G¹ § 140ª.

vobis, fratres: et ego quidem, qui haec verba profero, timeo ne decidam ante faciem Dei[1] factus impotens[2] adversus asperas pugnas hostis contra me pugnantis; dictum est enim: *tota die in bello tribulatus sum*[3]. Si deciderunt angeli et alii sive prophetae sive apostoli qui Dominum nostrum Iesum secuti sunt, velut Iudas et illi quos in Actibus a viris probis separavit Paulus[4], nobis ipsis attendamus, fratres, ut in nos adimpleatur verbum a Salomone dictum: *non aemuletur cor tuum peccatores, sed crescas pietate, et in timore Domini esto tota die* »[5].

188. Et ita plerique fratres eum saepe interrogabant percontati verba ab eo dicta et a se nondum intellecta. Quando sedebat et fratres docebat, interrogabant eum de interpretatione multarum sententiarum ab eo prolatarum, quia prae alto sensu illarum non intelligebant[1]. Quando vero stabat, nemo eum interrogabat nisi interpres solus secundum regulam ab initio positam, sed valde honeste sedebant et his quae dicebat attendebant. (p. 480) Stabant autem singulae domus per gradum et ordinem; singuli domus-praefecti *[p. 175.] viris suis praesidebant, secundi vero a tergo stabant et attendebant ne quis frater abesset; et ita ordine stabant ad verba Dei intenti. Mirum enim erat vere videre quo fervore attenderent verbis Dei ab illo dictis. Revera fratres vitae communis similes erant coetui angelorum, quando simul stabant et audiebant quo quisque egeret aut quo iam impleretur: alii quidem, oculis propter obiurgationes quibus tangebantur lacrimantibus, consilium inibant ut se sisterent Deo mundos; alii vero, de bona pro viribus suis ratione agendi securi, verbo Dei excitabantur ad exercendum et ad placendum Deo. Deinde, ubi finem eos docendi fecerat, plerique se prosternebant, dum fratres orabant, et multum flebant in seipsis dicendo: « Indigni sumus qui stemus et cum fratribus oremus ».

[1] G¹: τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ.: G³ τῆς χειρὸς τοῦ θεοῦ.. Cf. *Psalm.* xxx, 23 sahidice: ⲙⲉϣⲁⲕ ⲁⲓ̈ϩⲉ ⲉⲃⲟⲗ ⲙ̄ⲙⲁϩⲣⲙ̄ⲡⲉⲕⲃⲁⲗ. — [2] G¹: ἐν τῷ με πυροῦσθαι, sed corrige: πηροῦσθαι. — [3] *Psalm.* lv, 2. — [4] Cf. *Act.*, xix, 9; I *Tim.*, i, 20. — [5] *Prov.*, xxiii, 17. Hic textus respondet ad litteram sahidico (ed. Worrell, *Proverbs of Solomon in sahidic coptic*, Chicago, 1931).

188. — [1] Cf. *Epist. Amm.*, p. 110, l. 2-4.

189. (f. 12) Postea etiam locutus est illis his verbis: « Videamus magnas confirmationes quas hoc anno[1] in epistula paschali ad nos scripsit beatus pater noster abbas Athanasius Alexandriae sanctus archiepiscopus, modo quo canonem et numerum librorum sanctae Scripturae constituit, quippe qui filius est sanctorum apostolorum et gerit curam diligentem gregis Domini *et dat illis escam in tempore opportuno*[2]. Revera, cum hanc audivissem * epistulam, gavisus et miratus sum. Gavisus quidem sum de utilitate eorum qui illam audient et servabunt. Et vere etiam miratus sum verbum quod olim Dominus apostolis suis testamentum instituit, id est se usque ad hunc diem in terra mansurum prout dixit illis: *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi et in aeternum*[3]; et qui nobis etiam nunc singulis generationibus quibus cohabitat perfectos doctores suscitat et[4] nos ab omni diaboli astutia liberat. Nunc igitur, fratres, magna est utilitas et salus animabus nostris in hac epistula quam ad nos scripsit hoc anno, (p. 482) modo quo nobis statuit fontes aquae vitae e quibus nos valde oportet bibere ut gratia Dei et gratiis quas nobis tribuit salvemur. Multae enim sunt aquae mendaces et fontes amaritudine pleni quos aliqui foderunt ad propriam ruinam et ad ruinam eorum qui in illis bibent: videlicet, hi sunt de quibus in epistula locutus est verbis huiusmodi: 'Sibi finxerunt eos qui vocantur libri apocryphi, quibus aetatem tribuunt[5] et nomina sanctorum conferunt; quibus revera dupliciter decepti sunt qui huiusmodi libros scribere ausi sunt: perfectos in vera scientia viros blasphemaverunt sua mendaci abiectaque scientia, et ignaros simplicesque * populos ad malum errorem deduxerunt a recta fide et a veritate firma rectaque in omnibus coram Deo'. Propterea igitur, dilecti fratres, grato semper simus animo erga Deum qui etiam nunc et semper nostri curam cum copiosissima misericordia habet, (f. 13) sed vigilemus et nobis caveamus ne in istis fictis haereticorum pollutorum atheorum vereque impiorum libris legamus, ne nos etiam imperium

* p. 176.
* p. 177.

189. S[6] p. 283. — [1] A. D. 367; cf. dissertationem nostram: *Théodore de Tabennesi et la lettre pascale de S. Athanase* (in ephem. *Le Muséon*, 1910, p. 205-216). — [2] *Psalm.* CXLIV, 15. — [3] MATTH, XXVIII, 20. — [4] Incipit S[6] fragm. 7. — [5] ⲉⲩⲟⲩⲟⲛϩ vix recte; S[6]: ⲉⲩⲟⲩⲱϣ.

recusemus Domino qui nunc patri nostro Athanasio omnibusque paribus et etiam successoribus eius dixit: *qui recipit vos, me recipit*[6]; et ne forte alios in errorem inducamus ita ut in illis legant et discant recusare imperium sanctarum Scripturarum in recta firmatarum fide quam sancti patres nostri nos docuerunt. Nunc igitur, o fratres, testor coram Deo et Christo eius unicum psalmum nostrae sufficere saluti, modo eum bene noscamus patremus et servemus; praecipue sancta Evangelia Domini nostri Iesu Christi semper sunt in manibus nostris, et plenitudo omnium Scripturarum[7] cum sensu earum, secundum parabolam quam proprio ore dixit de lapide pretioso: *negotiator vendidit omnia quae habuit, donec emit eum*[8] propter quaestum ex eo percipiendum ». (p. 484) Quae autem cum dixisset pater noster * Theodorus, multum fratribus profuit et iussit eos interpretari epistulam archiepiscopi abbatis Athanasii; et scripserunt eam aegyptiace; et deposuit eam in monasterio ut eis esset regula. Postea surrexit et oravit pro fratribus; et quisque reversus est in domum suam, miratus quae a patre nostro Theodoro e sanctis Dei Scripturis audierat.

190. Et fratres inter se dicebant: « Vere nullus exortus est inter seniores alius filius qui labores exercitiaque patris nostri Pachomii perficeret, nisi pater noster Theodorus, modo quo semper cum magna ambulavit puritate usque in diem quo Domino visum est eum visitare et ab hoc vano saeculo transferre et in suum luminosum tabernaculum laetitia gaudioque plenum inducere et aeternorum bonorum haeredem constituere. Ipse autem pater noster Theodorus in oratione ad Deum saepe vigilabat a vespere ad mane, (f. 14) similis in omnibus patri nostro Pachomio cuius filius factus est; et quotiens orabat, totiens aliquid postulabat a Deo. Primum rogabat in nomine Christi secundum praeceptum Evangelii prout discipulis eius mandatum est: *quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc vobis dabo*[1]; ita etiam pater noster Theodorus orabat et rogabat. Et postquam Deum et sanctos omnes nominaverat, * dicebat etiam orando: « Domine, recordare servi tui patris nostri

* p. 178.
* p. 179.

[6] MATTH., X, 40. — [7] Desinit S[6] fragm. 7. — [8] MATTH., XIII, 46.

190. S[5] p. 200. — [1] IOHANN., XIV, 13.

qui per labores sanctasque lacrimas nos hic in nomine tuo congregavit » ; et eum in precibus suis saepe nominabat, quia confidebat se misericordiam consecuturum miseratione divina et lacrimis iustitiaque patris nostri Pachomii per quem Deum cognoverat, recordatus verbi scripti: *Deus, recordatus Abrahae, liberavit Lot de subversione*[2]. Et quotiens[3] cum fratribus de sanctis Dei Scripturis loquebatur, (p. 486) totiens verba ab ipso recitata etiam spiritaliter interpretabatur dicendo: « Sic etiam nobis interpretabatur pater noster, cum in carne nobiscum degebat ».

191. Revera saepe duos fideles fratres vocabat et omnes fratrum mansiones placide perlustrabat, intentus ne forte quis frater negligens in lectulo esset; certabat cum domus-praefectis eorumve secundis, quominus aliqui tribulatione aut tristitia propter daemonum tentationes gravarentur; et illis consilium benigne dabat privatim; iubebat fratres comites paululum distare, ne audirent quid singulis fratribus diceret cum eos admoneret ut resisterent pravis consiliis; et spiritu miserationis in se habitante a tribulationibus recreabat illos qui fortiter parebant * mandatis quae illis dabat sive de precibus sive de ascesi sive de vigiliis; curam illorum die ac nocte gerebat, sicut scriptum est de Domino ut homine: *in eo enim in quo passus est tentatus,* [*potens est et*] (f. 15) *eis qui tentantur auxiliari*[1]. Aliquos autem, quibus verba consolatoria non profutura sciebat, idonee castigabat et emendabat ⌜memoria bonae erga Deum discretionis, ut mandata eius servarent voluntatem eius semper et in omnibus agerent[2]. Similiter etiam alios, quos corde duros videbat, e medio fratrum expellebat, ne ceteris perditioni essent, et ipse propter eos a Domino damnaretur. Et ita semper agebat et agrum populi sui mundabat sicut scriptum est in Isaia propheta his verbis: *Dominus mundabit agrum populi sui*[3]. Saepe autem etiam omnia monasteria propere peragrabat,

[2] *Genes.*, XIX, 29. — [3] Incipit S⁵ fragm. 22.

191. S⁵ p. 200; S³ᵇ p. 295, l. 1 .— [1] *Hebr.*, II, 18; lege: ⲙ̄ⲙⲟϥ <ⲟⲩⲟⲛϣϫⲟⲙ ⲙ̄ⲙⲟϥ> ⲉⲑⲣⲉϥ- ; cf. S³ᵇ et textum biblicum. — [2] Verba haec videntur retractatio; S⁵ et S³ᵇ habent simpliciter: « memoria futuri iudicii ». — [3] Is., ...?

visitabat, recreabat et docebat ut mandata Domini cum puritate et pace servarent. Loquebatur etiam viritim cum omnibus quos ei domus-praefectus adducebant, quominus hostis mala consilia occulte illis subiceret ad animas illorum perdendas, (p. 488) et etiam ut illos e Scripturis doceret pravas vanasque cogitationes contemnere. Deinde ab illis * deductus[4] sicut angelus Domini abibat.

192. Factum est autem etiam quod[1] una e naviculis corrumperetur et vesterasceret. Iussu patris nostri Horsiesii illam instauravit pater noster Theodorus. Cum in eo esset ut ad aquam illam traheret, vociferati sunt fratres tanquam qui cum curribus[2] magna cum contentione contendunt; alii quidem: « Nos priores nostra iungemus »! Alii vero: « Minime, sed nos priores ». Cum autem pater noster Theodorus certamen inter illos et tumultum multum videret, exclamavit vir Dei et obstitit ne certarent de re nullius animabus eorum momenti. Illi vero non paruerunt; et pater noster Theodorus valde tristis siluit, rem totam Domino committens, et recessit et in secessu sedit valde tristis donec naviculam cum magna voluptate in aquam deduxerunt. (f. 16) Postea sedit et cum illis verbum Dei locutus est usque ad vesperam; et in medio illorum confessus est huiusmodi verbis: « Quando has magnas vociferationes emisistis, tunc nihil iam vidi, praesertim ne forte saeculares nos viderent et clamores vestros audirent. Nunc igitur, si hoc modo perseveraveritis, flebitis et contristabimini et lugebitis de laetitia accepta. Sed ne quis, si * audierit me, sermonis mei ignarus dicat in insipientia sua: 'Si morieris, mundusne propter te vastabitur'? Minime; omnes scimus Deum totam creationem quam creavit non derelicturum; sed Dominus scit: si in hac magna insipientia perseveraveritis, flebitis et flebimus et iterum flebitis cum suspiriis. Ubinam est nunc timor Dei? deest in corde aliquorum inter vos! Nonne me audiebatis, dum summa voce ad vos clamitabam? (p. 490) Nunc ergo, fratres, quid

[4] Desinit S³ᵇ fragm. 4.

192. S⁵ p. 201. — [1] Desinit S⁵ fragm. 22. — [2] ϩⲁⲛⲁϫⲟⲗϯ. W. E, Crum (*Copt. Dict.;* s. v. ⲗⲟⲩⲟⲗⲧⲉ) proponit ϩⲁⲛϫⲟⲣϯ (?) « cultri ». Sed hic non agitur de rixa; alluditur vero ad concertationes circenses cum « curribus ».

de navicula faciamus, quid plaustro, quid ceteris huius mundi substantiis in quibus nullum est animae commodum sed temporaria et corruptibilia sunt! Si anima nostra vanitatibus ebria perierit, in quo dissimiles igitur erimus his qui irriserunt coram vitulo in Choreb et qui comedentes et bibentes adoraverunt eum [3], derelicto Deo a quo creati sunt? Ceterum, si mihi non parueritis, et doctrinam meam non exceperitis, sufficiat vobis Deus! *quae est enim fortitudo mea* »! [4] Quae autem cum dixisset, plerique fratres fleverunt; noscebant enim labores quos ad sanitatem salutemque animarum omnium sustinuerat. Et postea surrexit et oravit, moerens de eis qui propriarum animarum salutem negligebant. Et quisque recessit in domum suam, multo fructu percepto.

* p. 183. **193**. Ipse vero noster Theodorus * prae nimia animae suae moestitia aegrotans decubuit; et de omnibus regulis quibus non proficiebant fratres suspirabat, (f. 17) quia prae negligentia et contemptu adeo mutati erant [1] ut eos ad pristinum ordinem prae disciplina remissiore restituere non posset, et quia fratres aequo plures frigescere animo videbat quam ut eis ad servanda praecepta, a viro perfecto patre nostro Pachomio studiose servanda tradita, opem ferret. Cum autem audirent omnes monasteriorum hegumeni aegrotare patrem nostrum Theodorum, venerunt omnes ad eum visitandum, praesertim quia appropinquabant dies sanctae Paschae; solebant enim in Phbou convenire omnes fratres ad catechumenos baptizandos et ad munera omnia disponenda ex regulis positis. Et cum ad Theodorum ingressi essent omnes et facie tristem viderent, turbati sunt valde et timuerunt ad eum accedere; — ipse autem moerebat de his quae acciderant —. Paucis post diebus a Deo recreatus est et e morbo convaluit. Ubi autem recreatus est, sedit et locutus est cum fratribus verbum Dei e sanctis Scripturis. (p. 500) [2] Sedebat cotidie et hortabatur fratres a mane ad horam collectae; et ita egit per totam Pascham, benedicentibus fratribus et gratias Domino nostro Iesu Christo agentibus.

[3] Cf. *Exod.*, XXXII. — [4] *Iob.*, VI, 11.

193 — [1] Lege: ⲁⲩⲟⲩⲱⲧ<ⲉⲃ> ⲉⲑⲃⲉ-; haplographia e sahid. -ⲟⲩⲱⲧⲃ ϩⲧⲃⲉ-. — [2] Omissi sunt numeri 491-498 in codice.

194. * Et postea coepit illis enarrare vitam patris nostri Pachomii ab eius infantia, et labores omnes quos pro illis a condita sancta congregatione sustinuit, et daemonum tentationes et modum quo animas e manibus eorum eripuit, et revelationes quas a Domino edoctus est, secundum ea omnia quae ex ore sancti audierat quaeque propriis ipse viderat oculis. Et cum illis loquebatur sic: « Audite me, fratres, et bene intelligite quae vobis dico; revera vir quem celebramus omnium nostrum est post Deum pater. Deus enim cum illo pactum pepigit ad multas per manus illius animas salvandas; et nos etiam Dominus per preces illius salvavit. Ipse enim — patrem nostrum iustum Pachomium dico — unus est sanctorum et eorum qui voluntatem Dei semper et ubique faciunt. (f. 18) Et timeo ne laborum eius obliviscamur et etiam ignoremus a quo haec multitudo facta sit spiritus unus corpusque unum et quinam sint alii nostri sancti patres qui ei operam tulerint donec hoc sanctum opus instituerit. Ecce igitur: Dominus domum Ionadab filii Rechab per Ieremiam benedixit his verbis: *non deficient filii Ionadab, stantes in conspectu meo omnibus diebus terrae* [1]*; quia custodierunt mandatum patris sui* [2]; confido nobiscum quoque et cum successoribus nostris benedictionem patris nostri permansuram semper coram Deo. * Nunc ergo ne simus negligentes, neque obliviscamur legum praeceptorumque quae, dum in corpore nobiscum degebat, nobis tradidit. Quid enim habemus plus quam ceteri homines? Omnino enim praestantia quam habemus haecne est, quia schema peculiare portamus? aut quia [3] lumbos nostros cingulo cingimus? aut quia simul in unam congregationem convenimus? Revera multi in multis locis simul congregati sunt et portant idem schema ac nos! (p. 502) gloria enim Domini Dei nostri et gratia eius repleverunt totum mundum! [4] Re quidem vera praestantia, quam fecit nobis Dominus, in eo est quod nobis dedit pater noster iustus, qui ambulavit iuxta totam prophetarum vitam et servitium in quo secundum Evangelium ipse Dominus noster [5] ambulavit, innoxius coram omnibus sicut et ipsi hac de re testes estis. Et etiam vos non

* p. 184. * p. 185.

194. — [1] IEREM., XXXV (XLII), 19. — [2] *Ibid.*, 18. — [3] ⲓⲥⲭⲥ, lege: ⲓⲉ ⲭⲉ-. — [4] Cf. *Psalm.* LXXI, 19. — [5] Nihil deest, sed lege: ⲉⲧⲁⲡϭⲥ.

fugit quomodo saepe cum lacrimis nos edocuerit, sicut in libro Actuum dixit Paulus[6] de his quos docebat; quomodo etiam nos cotidie ad se congregaverit et nobiscum, ut servemus singula sua praecepta, de sanctis mandatis in sanctis Christi Scripturis traditis locutus fuerit; quomodo ipse prior factis suis illa exsecutus fuerit antequam nobis tradiderit. Tantum ergo virum iustum, quem ita comparavimus ut per ipsum Dei nosceremus voluntatem, qui nos docuit modum etiam manus nostras ad Dominum extendendi et quomodo nos deprecari Deum oporteret, nonne iustum est nos hunc, post * Deum nostrum creatorem, benedicere? (f. 19) Nonne enim locutus est Deus cum Abrahamo eius faciente voluntatem, his verbis: *benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi?*[7] Nunc igitur, fratres, dicamus omnes: Benedictus sit Deus patris nostri iusti Pachomii qui per laborem precum suarum duxit nos ad vitam aeternam»! Tunc fratres omnes ore uno voceque una responderunt his verbis: « Benedictus sit in omnibus et in operibus suis omnibus pater noster pius iustusque, pater noster Pachomius »! Postquam autem omnes ita cum gaudio magnaque illius fiducia confessi sunt, dixit eis etiam: « Forsan sunt inter vos qui reputent carnem laudari? minime; aut etiam spem nostram homini haerere? iterum minime. Sed potius laudamus et benedicimus spiritum Dei in illo habitantem. Revera caro etiam digna est quae laudetur, quia templum Domini facta est. Non solum ergo nos oportet ita agere, sed etiam scimus et confidimus nomen eius in libro vitae cum omnibus sanctis esse scriptum. (p. 504) Nunc igitur, fratres, dico vobis: necesse et iustum est nos describere labores eius ab initio, totam eius perfectionem, exercitia ascesesque omnes quas egit, ut memoria eius maneat in terra sicut etiam in caelis semper manet, prout ait etiam beatus Iob: *quis mihi tribuat * ut scribantur sermones mei et ponantur in libro aeterno?*[8] Sed ne sint qui dicant in ignorantia sua: 'sed etiam scriptum est: *maledictus homo qui confidit in homine*'[9]. Revera saepe edocti estis hominem Deo adhaerentem non vocari hominem sed spiritum, sicut scriptum

* p. 186. * p. 187.

[6] *Act.*, xx, 20-21. — [7] *Genes.*, xii, 3. — [8] *Iob.*, xix, 23. — [9] Ierem., xvii, 5.

est: qui *adhaeret Domino unus spiritus est*[10]; et iterum dixit: *vos in carne non estis sed in spiritu*[11]; ergo, iuxta verbum hoc, qui Domino adhaeret et servit, homo iam non est propter *prudentiam spiritus*[12] sancti in se habitantis. Sicut enim gladium in vagina non vocatur gladium et vagina, ita ut ab alterutro separati duplici nomine vocentur; (f. 20) sed simpliciter gladium vocatur. Sicut etiam vinum in cratere aqua mixtum a nemine vocatur vinum et aqua, sed simpliciter ab eis qui bibunt illud vocatur vinum. Ita etiam de homine qui templum Dei fit purificando animam et corpus et spiritum suum. Attendamus quomodo in Scripturis singuli sancti extulerint antecessores suos ducesque ad vitam et ad cognoscendum Deum, et quomodo ita egerint iussu voluntateque Domini. Ideoque nos etiam oportet sine ulla haesitatione benedicere patrem nostrum iustum qui nos ad Dei cognitionem duxit. Quando locutus est Deus cum patriarcha Isaac, benedixit eum his verbis: *Ne descendas * in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi; ero tecum, et benedicam tibi; et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, daboque posteris tuis universas regiones has; et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, eo quod obedierit Abraham pater tuus voci meae, et custodierit praecepta* (p. 506) *iustificationes et leges meas*[13]. Nisi Domino placuisset Isaac, non ita cum eo locutus fuisset et eum non vocasset filium Abrahae dicendo: 'propter Abraham patrem tuum benedicam tibi, eo quod meam feceris voluntatem'; quibus servum suum docet et certiorem facit de recto sine defectu animo, ut extollat genitorem sive carnalem sive spiritalem. Lot etiam iustus eodem modo hospitalitatem iustitiamque coluit quas ab Abraham didicerat quando simul degebant et nondum ab invicem separati fuerant; et etiam, cum in Sodoma habitavit, illas percoluit et omnibus ad se venientibus semper benefecit; scriptum est etiam de eo huiusmodi verbis: *Deus, recordatus Abrahae, liberavit Lot de subversione*[14]; prodigium enim factus, laudatus est in multis sanctarum Scripturarum locis, eo quod doctrinae Abrahae paruisset. Invenimus autem etiam Iacob benedicentem filiis Ioseph, et

* p. 188.

[10] I *Cor.*, vi, 17. — [11] *Rom.*, viii, 9. — [12] *Ibid.*, 6. — [13] *Genes.*, xxvi, 2-5. — [14] *Genes.*, xix, 29.

* p. 189. extollentem patres suos dicendo: *Deus, * in cuius conspectu grati fuerunt patres mei Abraham et Isaac, benedicat pueris istis* [15]. (f. 21) Et iterum: *Invocetur super eos nomen meum et nomina patrum meorum Abraham et Isaac* [16]. Ioseph autem etiam moriturus locutus est cum fratribus suis et dixit eis: 5 *Deus ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iuravit patribus meis Abraham Isaac et Iacob et semini eorum* [17]. Ecce his multis sanctarum Scripturarum testimoniis ostendi vobis quomodo sancti omnes extulerint et laudaverint patres eorum antecessores; nonne iustum est et nos extollere et laudare vi- 10 rum iustum et prophetam quem donum nobis dedit Dominus ad Deum per sanctitatem illius cognoscendum »?

195. Patri autem nostro Theodoro maximae erant curae die ac nocte animae quas ei commiserat Dominus; et servabat eas fortiter in omnibus statutis regulisque quas nobis pater noster 15 iustus posuerat leges congregationis fratrum. Aliquos quidem ex eis, si contristabantur, recreabat. Alios, prout merebantur et animae eorum erant reficiendae, coram Domino nostro Iesu castigabat. (p. 508) Alios etiam e monasterio in monasterium vel e domo in domum transferebat, omnino eis accomodatus et 20 de salute animarum eorum sollicitus. Alios etiam hortabatur * p. 190. * ad exercitandum et patiendum carnis purgationis causa. Alios etiam ieiunare cogebat, ut hostes vincerent. Uno verbo, cum singulis seorsim loquebatur, per spiritum Dei in se habitantem discernens consilia et opera eorum. Si etiam aliquem 25 videbat propriam salutem negligere, tunc pro eo ad Deum orabat, vel eum e monasterio fratrum expellebat, veritus ne ab eo alii vitiarentur et ipse coram Deo *reus esset iudicio* [1] quod animas ita neglexisset ut perderentur, quia eos non castigavisset. Et vitae necessitatibus collegii multorum in Phbou aliorum- 30 que in omnibus monasteriis fratrum consulebat qualibuscumque indigerent; (f. 22) alterius etiam generis collegium Deo coactum, id est moniales, administrabat statutis verbisque suis per moderatorem earum iustum quem eis patrem constituerat ad eas in omni puritate secundum regulas patris nostri Pachomii 35 servandas.

[15] *Genes.*, XLVIII, 15. — [16] *Ibid.*, 16. — [17] *Genes.*, L, 23.
195. — [1] Cf. MATTH., V, 21, 22.

196. Pater autem noster Theodorus fratres ita recreabat assidue verbo doctrinaque perfecta viri iusti patris nostri Pachomii, donec sanctam Domini Pascham celebraverunt. Omnes illorum res secundum traditiones patris nostri Pachomii ordi- 5 navit; et postquam diem festum sanctae Domini nostri Iesu Christi resurrectionis egerunt, pro illis omnibus oravit et dimisit illos in pace; quorum multi * e monasterio in monaste- * p. 191. rium translati erant ad salutem illorum. Fratres autem interpretes, qui verba eius graece reddebant eis qui linguam aegyp- 10 tiacam utpote extranei vel alexandrini non intelligebant, saepe auditis verbis eius de exercitiis patris nostri Pachomii, totum animum fortiter attenderunt ad ea quae narraverat, et ea fratribus scripserunt. (p. 510) Postquam enim cum eis de illo locutus fuerat et illum laboresque illius omnes laudaverat, pater 15 noster Theodorus suspirabat fratribus dicendo: « Attendite verbis quae vobis dico; nam certo eveniet tempus in quo neminem invenietis qui vobis illa dicat ».

197. Pater autem noster Theodorus semper coram Domino lugebat: timebat ne periret anima sibi a Domino commissa, et 20 docebat eos mala derelinquere, opera vero bona coram Domino facere. Et cum videret sub specie cibariorum necessitatumque corporalium monasteria locupletari agris multis et pecoribus et naviculis et, uno verbo, multis substantiis, magnopere contristatus est; certo enim sciebat multorum *lubricavisse vesti-* 25 *gia in itinere* [1] recto propter substantias curasque vanas huius saeculi; et statuit abire iterum in Šeneset ad patrem nostrum abbatem Horsiesi, ut rem ab eo percontaretur. Statim ardens surrexit et totam noctem iter fecit (f. 23) ipse cum duobus fratribus comitibus donec eum in Šeneset adiit. Ubi eum assecutus 30 est, * osculatus est et confestim denuo flevit cum multis lacri- * p. 192. mis; flevit etiam abbas Horsiesi. Et postquam diu simul fleverunt, abbas Theodorus manum abbatis Horsiesi prehendit et eum eduxit seorsum; et cum oculis lacrimabundis locutus est cum eo et dixit: « Domine pater sancte, tu mihi hoc munus a

196. S^{3b} p. 292, l. 27-293, l. 2. — [1] Cf. S^{3b} l. 1,
197. G^{1} § 146^{a}. — [1] Cf. *Iob.*, XXXI, 7 et *Thren.*, IV, 18 (Vulgata: *lubricaverunt vestigia in itinere*).

Domino imposuisti, et tu scis me iam totas vires meas in illud admovisse; tu scis etiam me nihil sine consensu tuo egisse, prout sumus corpus unum et anima una et spiritus unus in omnibus secundum Deum. Nunc igitur a te peto, domine pater, quid mihi faciendum de illis multis divitiis magnisque substantiis ita multiplicatis et in quibus scimus nullam esse utilitatem »? Haec autem dicebat corde tristis et cupiens valde minui substantias. Et respondit ei pater noster abbas Horsiesi: « Dominus benedixit et dilatavit communitatem, ipse etiam potestatem habet eam contrahendi pro decretis suis bonis et suis veris rectisque iudiciis »! (p. 512) Dixit abbas Theodorus abbati Horsiesi: « Bene dixisti! quidquid dixeris mihi agam et servabo, tamquam si mihi a Deo dicta sint ». Et cum surrexisset, oravit pro eo, tristis ab eo exivit et abiit ad meridiem in Phbou, ad fratres ibi habitantes.

198. Deinde perstitit adeo angustiatus ut saepe clamaret ad Dominum et deprecaretur cum lacrimis * his verbis: « Rogo te, Domine Iesu Christe, animam meam a me auferre, ne iam videam dissolutionem animarum perditioni obnoxiarum propter substantias curasque vanas huius saeculi ». Saepe revera vestem etiam induebat ex pilis contextam, ascendebat in montem, totam noctem ibi agebat orando ad Dominum cum lacrimis, et mane descendebat in monasterium; — postea aliquis frater senior ad vesperam secutus est eum non multum ab eo distans —. Et cum perveniret ad hunc montis locum in quo sepultum erat corpus patris nostri Pachomii, supra illud stabat abbas Theodorus et orabat cum multis lacrimis ad Dominum his verbis: (f. 24) « *Domine Deus, solus misericors et miserator*[1], *iudex vivorum et mortuorum*[2], *tu qui nosti cor*[3] meum et consilia mea et conscientiam meam et fines meos, prae tota miseria in qua sumus, prehendant me misericordia et benignitas tua! declinamus enim de via vitae et de legibus mandatisque quae mandasti iusto patri nostro supra sanctum cuius corpus nunc sto; revera similes sumus eis qui tempore tempestatis sunt in mari; non convertimur ad viam bonam quam nobis servus tuus, scilicet

* p. 193.

198. G[1] § 146[b]. — [1] Cf. *Psalm.* LXXXV, 15. — [2] *Act.*, X, 42. — [3] *Act.*, I, 24.

sanctus pater noster, ostendit nobis. Ne nos prae dolore facias a te alienos propter peccata nostra! ne forte miseri fiamus coram patre nostro sodalibusque eius iustis omnibus, quos oculis nostris vidimus cum eo affixos cruci in omni innocentia secundum * Evangelium Filii tui benedicti Iesu Christi! Nunc ergo te deprecor, ut nobis indulgeas propter lacrimas patris nostri iusti quocum foedus pepigisti! (p. 514) Ne effundas iram tuam in nos propter opera mala nostra quae fecimus et contemptiones in quibus negligentes fuimus! ne forte in duritie cordis nostri mali perseveremus et perdamus labores quos pater noster die ac nocte sustinuit in ieiuniis et precibus et lacrimis multis donec sibi congregaret undique hanc multitudinem animarum ut salvarentur et nomen sanctum tuum semper benedicerent! nam tu es auxilium et spes nostra![4] Nunc igitur, Domine Iesu Christe, melius est ut propere me visites et animam a me auferas, quam ut videam diabolum in laboribus patris nostri gloriari, et ita non veniam in periculum propter creaturas tuas quarum animas mihi, ut in manibus tuis immaculatas redderem, commisisti ». Pater autem noster Theodorus totam noctem perstitit orando ad Deum huiusmodi verbis usque ad horam collectae matutinae; et (f. 25) nesciebat fratrem, qui ascenderat et secutus fuerat, interiecto intervallo adstare et audire se proferentem omnia verba haec et flentem cum tristitia et suspiriis. Et postquam e monte descendit, frater ille omnibus fratribus narravit occulte omnia verba quae pater noster Theodorus coram Domino cum lacrimis locutus fuerat.

* p. 194.

199. * Et postea crebro, quotiescumque sedebat ad loquendum cum fratribus simul congregatis, significabat fore ut sibi visitatio propere veniret. Ipsi vero non intellexerunt quid diceret. Alias dicebat illis: « Est inter nos frater qui hoc anno a Domino visitabitur, externus et internus, excelsus et infimus ». Alias: « Adducti sunt ad torcular ut calcarentur, et vinum eorum colligamus ». Saepe etiam aliquibus seorsum dicebat: « In eo sum ut abeam ad Dominum meum Iesum ». Alias aperte dicebat: « Puto Deum me visitaturum esse hoc anno ». Non quia sentiebat se senescere aut hebescere, mortem suam suspicabatur

* p. 195.

[4] Cf. *Psalm.* CXLV, 5.

proximam, (p. 516) sed quia a Domino edoctus erat suum imminere tempus requiescendi et habitandi cum patribus antecessoribus suis quorum virtutes ipse omnes coluerat. Factum est etiam aliquando, cum sederet et loqueretur cum fratribus verbum Dei, quod effluerent lacrimae in genas eius, deflentibus etiam cum eo fratribus; et postea dixit eis: « Audite, fratres: Iacob septemdecim annos enutrivit Ioseph, et ipse Ioseph septemdecim annos enutrivit patrem suum Iacob omnesque fratres suos; ego quoque a patre nostro octodecim annos enutritus sum in mandatis Dei, et ecce etiam octodecim annos in medio vestrum pro viribus meis positus sum iussu Dei et patris nostri abbatis Horsiesi. Hic enim nostrum omnium pater est; si ei obediverimus et mandata * quae nobis dedit servaverimus, confidimus Deum nobiscum esse et fore in aeternum. Si autem incipiam exponere laudes etiam virorum fortium qui post patrem nostrum Pachomium fuere, praesertim patris nostri sancti abbatis Horsiesi viri perfecti, sermo valde producetur; (f. 26) plerique vestrum audierunt patrem nostrum iustum, quando multum benedixit illum et valde praedicavit in tempore quo patrem in Šeneset illum instituit; comparavit illum lucernae aureae lucenti in domo Domini; et etiam: 'introducta est hodie sponsa Christi'[1]. Sciebat enim illum bonum erga omnes et probum tamquam ovem sibi obedientem ex toto corde, prout fratribus operam tribuebant ambo. Haec autem vobis saepe recanto quia pater noster illum diligebat ». Pater autem noster Theodorus cum singulis loquebatur fratribus et alacriter eos solabatur tamquam si se pararet ad abeundum ad Dominum; reputabat se de eis irreprehensum esse, eo quod singulos animae salutem singulatim edoceret. Postea surrexit et oravit cum fratribus; et quisque reversus est in domum suam moerore confectus propter verba ab eo dicta, videlicet: se ad Dominum abiturum et eos derelicturum orphanos.

* p. 196.

200. Factum est autem paucis post diebus — id est, cum iam procederet huius anni tempus— quod per sanctam quadragesimam, * in qua pro salute nostra Dominus noster Iesus

* p. 197.

199. — [1] Cf. II *Cor.*, XI, 2.
200. *Epist. Amm.* § 33.

ieiunavit, ⌈abbas Horsiesi[1] in Šeneset audiret beatum abbatem Athanasium Alexandriae archiepiscopum ad omnes in fide Christi ecclesias confirmandas Thebaidem petere; confestim patrem nostrum Theodorum e Phbou arcessivit ut obviam Athanasio iret. Et confestim surrexit et quinque fratres comites accepit; naviculam conscenderunt et descenderunt in Šeneset. Et, ubi occurrit patri nostro Horsiesi, rogavit eum ut potius ipse Horsiesi obviam archiepiscopo iret; hic autem noluit, praesertim quia saepe audierant patrem nostrum Pachomium laudare et nominare illum semper patrem rectae Christi fidei. Cum autem videret abbas Theodorus abbatem Horsiesi prae magna eius humilitate recusare et potius hortari ut ipse archiepiscopum adiret dicendo 'si tu abieris, ego sum qui abibo, (f. 27) nam sumus ambo tamquam vir unus et anima una et spiritus unus', tunc dixit abbati Horsiesi: « Memento nostri in sanctis precibus tuis, donec nos ad te feliciter et pacifice reducat Deus ». Ipse autem cum fratribus exivit ab Horsiesi, qui deduxit eos usque ad naviculam cum nonnullis comitantibus fratribus et dixit: « Saluta archiepiscopum patremque fidei ».

201. Theodorus autem ad septentrionem abiit cum fratribus, et invenit archiepiscopum in septentrione provinciae Šmun. * In asino sedebat archiepiscopus comitatus innumerabili multitudine; episcopi et clerici innumeri cum lucernis facibusque et monachi e singulis locis antegrediebantur eum proferendo psalmos et hymnos. Abbas Theodorus in ripam iuxta monasteria provinciae Šmun desilivit et secum assumpsit etiam fratres illorum monasteriorum; iter septentrionem versus ad archiepiscopum pedibus fecerunt, et omnes simul meditabantur verba sanctarum Scripturarum et Evangeliorum Domini nostri Iesu Christi. (p. 520) Archiepiscopus autem, ut eos a longe vidit, novit esse filios Pachomii cui concessit Deus congregare sanctam communitatem; et confestim de eis adhuc distantibus protulit hoc dictum: « *Qui sunt isti qui volant ad me ut nubes et sicut columbae cum pullis suis speciosis* »![1] Ubi autem ad

* p. 198.

[1] Sententia videtur manca; hic manifeste agitur de Horsiesi, uti patet e sequentibus.

201. G[1] §§ 143, 144[a]; *Epist. Amm.* § 33. — [1] Is., LX, 8.

eum accesserunt, Theodorus prae se posuit aliquos seniores fratres qui ante ipsum amplectarentur archiepiscopum; fugiebat enim vanam gloriam. Archiepiscopus autem per spiritum in se habitantem agnovit eum in medio fratrum omnium, et amplexatus est primum Theodorum, et post eum fratres; et postquam pro fratribus oravit, hi sederunt, et ipse dixit eis: « Quid agunt *iustus Israelita in quo dolus non est*[2] pater noster abbas Horsiesi et ceteri fratres omnes »? Respondit abbas Theodorus et dixit ei: « Per auxilium Dei precesque tuas sanctas una valemus; (f. 28) et salutant te * pater noster sanctus omnesque sodales eius ». Et habenas asini archiepiscopi apprehendit ut cum eo iter faceret; archiepiscopus autem prohibuit quominus hoc ageret. Abbas Theodorus dixit ei: « Sine, sancte pater; nonne gratia nobis est hoc agere, prout subicimur ei qui pro nobis saepe mortuus est ad statuendam fidem Christi »! Et ita permisit archiepiscopus; et Theodorus apprehendit asinum; deinde fratres, numero circiter centum virorum, antegressi sunt psallendo. Archiepiscopus autem, cum videret patrem nostrum abbatem Theodorum Spiritu sancto intus ferventem et alacriter fortiterque iter facientem nec attendentem (?)[3] comprimenti turbae aut flammae fervidae multarum lampadum ardentium et urentium eum, dixit episcopis comitibus: « Num digni sumus qui vocemur patres mundi? minime quidem; sed isti vere sunt patres nostri, qui humilitatem patientiamque secundum Deum habent; (p. 522) vere beati et benedicti sunt, qui crucem semper portant, qui magnam in humilitate gloriam habent, et quibus post laborem sequetur requies donec recipiant incorruptibilem coronam ». Et praecedebant psallendo et adduxerunt eum in ecclesiam urbis Šmun. Dein pro turba comitante oravit, et quisque in domum suam abiit. Abbas Theodorus et fratres comites benedictionem ab archiepiscopo acceperunt et secederunt * in monasteria regionis in quibus paucos dies quieverunt.

202. Et cum archiepiscopus in urbibus, quas verbo Dei excitaret, paucos dies ageret, surrexit cum fratribus comitantibus

[2] Cf. IOHAN., I, 47. — [3] Quid latet sub ⲚⲀⲤⲈⲀϢⲈⲚⲒⲤⲈⲈ? peritiores requirant; G[1]: καὶ μὴ φειδόμενος.

202. G[1] § 144[b].

et ascendit ad monasteria Nobi et Kahior, ut statum fratrum inspiceret. Ubi ad eos ingressus est et vidit modestiam et mansuetudinem et perfectionem et tranquillitatem in quibus vivebant, gavisus est et glorificavit Dominum; et praecedentibus psallendo fratribus, ingressus est ecclesiam ibique oravit. (f. 29) Postea ductus est in coenaculum et domus et cellas, in quibus omnibus oravit. Et cum vidisset constitutiones eorum et quomodo humi cubarent, miratus est et Deum benedixit laudans vitam et institutum fratrum; deinde archiepiscopus dixit patri nostro Theodoro: « Revera constituistis in mundo bonum grandeque opus, quo omnes animae quae venient ad vos requiem consequentur ». Respondit abbas Theodorus archiepiscopo: « Haec gratia magna pervenit ad nos per patrem nostrum iustum, sed praesertim per sanctas preces tuas, domine pater; scit enim Deus, cum sanctitatem tuam vidimus, nobis idem esse ac si Dominum nostrum Iesum Christum in Ierusalem caelesti videremus, prae magna nostra in te fiducia: etenim tu es pater noster ». Et postquam aliquot dies in monasterio egit et fratribus profuit sermone Dei, dixit abbati Theodoro: « Quoniam Domini voluntas est, cupimus hic paucos agere dies; appropinquant enim dies sanctae Paschae salutis nostrae. * Tu quidem, accipe a nobis epistulam ad abbatem Horsiesi, veniat et ipse ad nos, et benedictionem eius sanctam accipiamus. Abi, et curam monasteriorum tuorum, sicut scis, suscipe ».

203. Vespere facto, pater noster Theodorus sedit et locutus est fratribus verbum Dei; deinde dixit fratribus nautis: « Quoniam certiores nos fecit archiepiscopus se dies aliquot acturum priusquam in meridiem ad nos visitandos veniret, rogo vos nunc ut ei praesto cum navicula sitis quo ei opus fuerit; ipse enim post Deum pater noster est; non solum ius in naviculam nostram habet, sed etiam auctoritatem[1] in corpora nostra; servite Deo et ipsi[2], nos vero ad meridiem abeamus; appropinquant enim salutis nostrae dies sanctae Paschae, in quibus pro nobis passus est Christus donec nos a diabolo salvaret ». Mane autem facto, assumpsit fratres, urbem ingressus est, archiepiscopum

203. S[3b] p. 296; G[1] § 144[c]. — [1] Incipit S[3b] fragm. 5. — [2] Lege: Ⲛ̄ⲦⲈ<ⲦⲈ>ⲚⲈⲢⲂⲰⲔ.

adiit et amplexatus est, et ab eo epistulam ad patrem nostrum abbatem Horsiesi accepit. (f. 30) Et, cum ab archiepiscopo benedictionem accepisset, dixit ei: « Memento nostri in sanctis tuis precibus, domine pater ». Respondit archiepiscopus: « *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni dabo dexteram meam*[3], id est, vos ». Et ita ab eo exivit in pace, navicula fratribusque voluntati eius permissis.

204. Abbas autem Theodorus pedibus iter fecit donec in meridiem pervenit; noluit enim ascendere unam e naviculis quas *p. 202. acquisiverant monasteria, quia non assentiebatur illas * in monasteriis fabricari. Ubi autem in Šeneset pervenit, abbati Horsiesi occurrit et eum omnesque fratres amplexatus est; deinde dedit ei epistulam archiepiscopi. Quam cum accepisset, antequam fratribus legeret, osculatus est. Haec erant scripta in illa epistula: « Athanasius Alexandriae archiepiscopus scribens salutat dilectum fratrem suum abbatem Horsiesi fratresque eius sodales; dilectis in Dño salutem! Vere, cum viderem tuum in Domino laboris socium Theodorum omnium divinarum virtutum plenum et in eis splendidum, (p. 526) tunc vidi vultu alacri Dominum[1] patris nostri Pachomii habitantem in intimo eius pectore et confortantem eum in omnibus operibus eius. Ego quidem valde gavisus sum, quia vidi filios Ecclesiae colere nos praesentia eorum honorifica. Dominus noster Iesus Christus mercedem retribuat illis in regione sanctorum suorum! Deus autem spei nostrae cumulet in nos pacem et amorem et patientiam suam in saecula saeculorum, amen! Rogamus ut vos quovis momento videamus ». Et ubi hanc epistulam legerunt, surrexerunt et simul cum fratribus oraverunt; et quisque se recepit in domum suam Deo gratias agendo et archiepiscopum sanctum abbatem Athanasium benedicendo. Deinde abbas Theodorus seorsum locutus est cum abbate Horsiesi et solabatur eum de tribulatione olim facta occasione Apollonii in Thmušons *p. 203. principis[2]; — hic Alexandriam miserat et * sibi merces aegro-

[3] *Psalm.* CXXXVI, 5.

204. S[3b] p. 296; G[1] § 145. — [1] Amélineau correxit in: **ⲉⲡⲓⲡ̄ⲛ̄ⲁ̄.** Suspicor fuisse sahidice: **ϫⲁⲉⲓⲟ**, perperam lectum: **ϫⲟⲉⲓⲥ**. — [2] Haec discidia narrantur in S[6] p. 268.

tantium praetextu empserat, et abbas Horsiesi non permiserat ei servare illas in loco sub propria potestate, (f. 31) quia pro certo habebat hoc esse praeter patris nostri Pachomii voluntatem —. Et rogavit etiam eum ut secum ad meridiem in Phbou iret et solatium fratribus esset; sciebat enim tempus suum abeundi ad Deum, prout omnes sui patres abierunt, appropinquare. Et prae multis eius precibus assentitus est abbas Horsiesi, surrexit et iter aggressus est cum abbate Theodoro fratribusque, donec in meridiem pervenerunt. Cum autem ad monasterium appropinquarent, pater noster Theodorus misit aliquem e fratribus itineris sociis: « Abi propere, congregentur fratres et obviam sancto patri nostro veniant ». Et confestim frater abiit et iussit hebdomadarium congregare fratres, qui obviam omnes venerunt psallendo et abbatem Horsiesi osculati sunt osculo puro. Deinde iterum psallerunt simul ambulando, donec monasterium ingressi sunt, modeste et humiliter[3] et sapienter et tranquille; similiter oraverunt in ecclesia monasterii cum fratribus. Postea pater noster Theodorus suasit abbati Horsiesi ut sederet et verbum Dei pristino more loqueretur fratribus. (p. 528) Hic autem cum magna humilitate paruit sedit et protulit illis magnas e sanctis Scripturis explicationes. Et abbas Theodorus sedebat et ipse, et sicut omnes fratres audiebat demisso vultu lacrimabundo prae acuto sensu verborum quae ex ore abbatis Horsiesi audiebat; et toto corde oreque * dicebat: « Ego sum filius et legatus abbatis Horsiesi ». *p. 204. Et ambo erant per modum unius; et omnes mirabantur et laudabant eos propter suavitatem mutui amoris, licet et *Deum diligerent ex tota anima et ex toto corde*[4] secundum praeceptum patris nostri perfecti Pachomii. Et abbas Theodorus velut adiutorem eius se gerebat; et prae nimia sua humilitate ne minimam quidem rem sine eius assensu agebat. Saepe etiam fratres audierunt eum flentem et dicentem: « In eo sum ut a patre meo Horsiesi separer et viam omnium patrum meorum ingrediar ». (f. 32) Et postquam abbas Horsiesi multa locutus est fratribus hortans eos ad imitandam vitam et patientiam et humilitatem secundum Deum patris nostri Theodori, surrexit et oravit cum omnibus

[3] Desinit S[3b] fragm. 5. — [4] Cf. MATTH., XXII, 37.

fratribus; et quisque se recepit in domum suam meditando verbum Dei et multam assiduamque virtutem excoluit.

205. Et post quattuor dies facta est Pascha. Omnes in unum conveniebant fratres in Phbou, ut simul secundum regulas patris nostri Pachomii agerent Pascham. Abbas autem Theodorus rogavit abbatem Horsiesi ut cotidie per Pascham fratres doceret. Hic autem prae sua humilitate non est assensus se singulis temporibus id acturum; sed alternis vicibus pater noster *p. 205. Horsiesi et ipse abbas Theodorus * fratres catechizaverunt; nam ambo erant per modum unius; et ita egerunt donec absoluta est Pascha. Vespere autem diei absolutionis sanctae Paschae omnes fratres in ecclesia aderant sancta mysteria accepturi, id est corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi. (p. 530)[1] Aliquis frater senior, abbas Eron nomine, aeger decumbebat in loco in quo omnes in monasterio aegrotantes decumbebant; erat adiutor abbatis Theodori alexandrini Graecorum praefecti. Et frater famulus fratrum aegrotantium venit et monuit Theodorum in eo esse hunc fratrem ut requiesceret Et confestim abbas Theodorus ex ecclesia exivit et adiit locum fratrum aegrotantium et vidit fratrem in eo esse ut redderet spiritum; et confestim ad eum se inclinavit et, audientibus omnibus fratribus, dixit ei magna verba. Paulo post frater emisit spiritum, et confestim timor magnus factus est in illa hora. Revera verba quae dixerat abbas Theodorus nullus frater intellexit, sed, prout intime reputamus, dixerat illi: « Cum ad patrem nostrum iustum perfectumque Pachomium perveneris, (f. 33) in nomine meo rogabis eum et dices: 'discipulus tuus *p. 206. Theodorus rogat te sanctum patrem suum ut * a Domino petas ut sibi modum te sequendi tribuat'. Haec nos reputavimus, quia vidimus eum magis anhalantem quam nobis adhuc compertum erat, et quia observavimus quotidianam formam incessus sermonisque eius. Abbas Theodorus sedit et magno fletu multisque lacrimis lacrimatus est; moerebant cum ipso et abbas Horsiesi et fratres monasteriorum circumstantes. Et eis dixit abbas Theodorus: « Hic frater hodie defunctus typus est et signum alterius post se morituri, quem his diebus moriturum

non putatis ». Et omnes fratres hanc noctem egerunt totam circum cadaver vigilantes et meditantes donec primo diluculo dies illuxit. Multo mane sanctae diei dominicae, id est Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, sanctum curaverunt cadaver. Postea abbas Theodorus sedit et iussu abbatis Horsiesi omnia fratrum munera distribuit (p. 532) sive praefectorum sive adiutorum secundum normam a patre nostro iusto Pachomio traditam. Et ubi omnia officia eorum, ut par erat, ordinavit, tunc abbatem Eron psallendo deduxerunt, omnibus hegumenis monasteriorum cunctisque fratribus comitantibus, donec ad montem adduxerunt et magno cum honore sepelierunt apud omnes fratres defunctos. Et cum e monte descendissent, abbas Theodorus pro fratribus oravit et deduxit hegumenos qui redierunt singuli * in monasteria sua ad fratres. Abbas Horsiesi, *p. 207. qui monasterium Šeneset repetebat et comitabatur et ipse, fratribus valedixit: « Mementote nostri ». Et pater noster abbas Theodorus dixit patri nostro Horsiesi: « Ne longius abeas, quia frater alius inter nos excelsus et infimus in eo est ut requiescat ». Quae cum dixisset, fratres petierunt singuli monasteria sua; et ipse cum fratribus sociis suis iterum monasterium ingressus est.

206. Post tres dies recubuit aegrotans et misit fratres, qui sibi adducerent abbatem Horsiesi. Venerunt etiam in Phbou fratres vicinorum monasteriorum. Abbas autem Horsiesi, cum videret abbatem Theodorum magis ac magis febre confectum, valde doluit et assumptis cunctis fratribus ecclesiam ingressus est. Ante aram se prostraverunt deflentes et Dominum nostrum Iesum Christum deprecantes ut illi donaret sanationem per preces patris nostri Pachomii. Pater autem noster abbas Horsiesi clamavit ad Dominum his verbis: « Domine universi et Deus patris nostri Pachomii, si nunc a nobis Theodorum abstuleris, miseri fiemus; melius est quidem ut ego prior moriar quia senesco, et ut hunc potius superstitem relinquas qui sit omnibus fratribus praesidio ». Deinde fratres vocem extulerunt cuncti et cum acerbissimo fletu luxerunt dicentes: « Domine miserere nostri, nobis indulgeas, suscipe * deprecationem nos- *p. 208.

tram et ne auferas a nobis[1] patrem nostrum iustum Theodorum; (p. 534) melius enim nobis est[2], ut plerosque nostrum auferas et superstitem relinquas hunc qui animas nostras in lege praeceptisque tuis vitalibus enutriat ». Postquam autem multos dies de illo doluerunt et pro illo Dominum deprecati sunt ut sanationem aliquantisper donaret illi ad animas eorum in viam salutis ducendas, abbas Theodorus misit ad ecclesiam et arcessivit patrem nostrum Horsiesi; et dixit ei: « Ne defatiges te et fratres deprecando Dominum pro me; nam certo statutum est me abiturum ad Dominum quemadmodum patres antecessores mei ». Abbas autem Horsiesi, defluentibus in genas lacrimis, magno cum dolore lacrimabat. Abbas autem Theodorus conversus ad abbatem Šentaesi et abbatem Pachomium et ceteros seniores lectum suum circumdantes dixit: « Ecce, abeo ad Dominum et ad patrem nostrum iustum secundum uniuscuiusque fatum; nunc ergo vos, adiuvate patrem nostrum abbatem Horsiesi in omni obedientia et humilitate et sine ulla murmuratione; (f. 35) ipse revera testamentum est, ego vero legatus eius; Dominus scit mihi non fuisse voluntatem hoc munere fungendi; me maximum omnium super terram peccatorem! attamen assiduae Dei gratiae mihi concessae tribuendum, quod nullomodo et in nullo adiuncto mihi a Domino comparato inobediens fui. Utinam perditionis expers sim! Nunc igitur ecce vobis testificor * *et testis meus est in caelis*[3], me ne uno quidem die temporis vitae meae in hoc mundo oblitum fuisse peccatorum animae meae; et etiam reputo me nullam rem egisse praeter benedictum mandatum et optimum patris nostri consilium; ecce reipsa duodeviginti annos anima eius pro vobis patitur. Nunc ergo, pii fratres et dilecti mei, rogo vos, si visitaverit me Dominus, ut corpus meum e loco in quo primum positum fuerit transferatis et reponatis ossa mea apud ossa patris mei ». Quae cum nobis dixisset pater noster Theodorus, vir Dei os suum aperuit et in magna animi quiete et tranquillitate tradidit spiritum die secunda mensis pašons, in pace.

[1] Incipit S[5] fragm. 23. — [2] Incipit S[3b] fragm. 6, disparibus verbis. — [3] *Iob.*, XVI, 20; cf. *Rom.*, I, 9; *Philipp.*, I, 8.

207. (p. 536) Tunc in illa hora metus ortus est magnus et odor. Omnes fratres se prostraverunt et exclamaverunt cum acerbo fletu his verbis: « Vae nobis! hodie sumus orphani! vere enim hodie requievit pater noster iustus Pachomius! infelices et miseri facti sumus hodie, cum recogitamus bonas vivendi rationes eius et suavem sermonem et magnam humilitatem et sincerum mansuetumque erga singulos amorem »! Postea pater noster abbas Horsiesi et fratres omnes noctem egerunt totam circum venerandum cadaver meditantes. Mane autem facto, hora collectae, cadaver recte et pulchre exornaverunt, et pro illo oblationem obtulerunt sanctam, corpus et sanguinem Domini nostri Iesu * Christi; et postea[1] deduxerunt illud et adduxerunt ad montem et sepelierunt cum honore et decore; deinde reversi sunt in monasterium magno cum dolore multisque lacrimis. (f. 36) In illa autem nocte pater noster abbas Horsiesi secum assumpsit tres fratres, egressus est ad montem in locum in quo sepultum erat corpus patris nostri Theodori, et illud abstulit abduxit et sepelivit apud ossa patris nostri iusti Pachomii patris sanctae communitatis[2]; quo in loco fratrem suum Paphnuti sepelierat Theodorus. Et tranquille descenderunt in monasterium; et nemo novit quid egissent.

208. Tres autem dies postquam requieverat pater noster Theodorus, dum fratres omnes summo dolore afficiebantur, pater noster Horsiesi prae tristitia ob decessum patris nostri optimae memoriae Theodori suscepta aegrotans decubuit. Postea fratres aliqui seniores cum Šentaesi et Pachomio coeperunt rogare abbatem Horsiesi ut egrederetur et aliquot solatii verba fratribus faceret. Et animo eorum satisfecit, surrexit exivit moerens et sedit in medio fratrum omnium simul congregatorum et multo fletu mortem patris nostri Theodori lugentium. (p. 538) Et coepit moestus et lacrimabundus cum illis loqui his verbis: « Revera Deus a nobis abstulit patrem iustum, id est abbatem Theodorum, qui nos in verbo Dei solabatur. Et in hoc est * nobis maximus moeror, quod nos ita dolore affecimus ipsum ut Dominum rogaret a nobis propere auferri, et ideo nos

207. S[5] p. 203; S[3b] p. 298; G[1] § 149. — [1] Desinit S[5] fragm. 23. — [2] S[3b] pergit aliis verbis, et addit alia multa.

orphani constitueremur. Etenim nostis omnes magnum eius erga nos amorem, prout semper Dominum pro nobis deprecabatur ut nos e manu superbi diaboli salvaret. Nunc igitur, fratres dilecti, semper recordemur laborum eius et exercitiorum et lacrimarum quas die ac nocte pro nobis coram Domino effudit, ne capiamur et nos verbo scripto: *cito fecerunt; obliti sunt operum eius et non sustinuerunt consilium eius*[1], et ne *rei* fiamus *iudicio*[2]. Confido enim, si secundum mandata eius ambulaverimus, fore ut legatione fungatur pro nobis apud Deum et apud patrem nostrum Pachomium. (f. 37) Haec enim Dominus noster Iesus dixit sanctis suis discipulis et sanctis suis apostolis: *praecedam vos et parabo vobis locum*[3]; et iterum: *habemus advocatum apud Patrem, Iesum Christum Dominum nostrum, qui dilexit nos et se dedit propitiationem pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi; passus est pro nobis*[4]. Revera pater noster iustus abbas Pachomius, totum tempus quod nobiscum corporaliter egit, orabat Dominum die ac nocte pro animabus nostris animabusque totius mundi; ita etiam egerunt sancti patres nostri qui ei successerunt, abbas Petronius et abbas * Theodorus, facti filii eius et imitatores vitae eius in multis aerumnis. Nunc igitur, fratres et monasteriorum hegumeni membra patris nostri, servemus leges quas nobis condiderunt patres nostri et praecepta quae nobis dederunt implenda, et ita cor eorum delectemus in loco requiei quem inhabitant, prout Christus Patri suo de apostolis dixit: (p. 540) *quae dedisti mihi dedi eis, et ipsi acceperunt et servaverunt verbum tuum*[5]. Utinam nobis etiam dicatur: ‘ Optati adestis, filii, qui patri vestro paruistis et servastis praecepta ab eo tradita! venite, adite haereditatem vitae aeternae cum patribus vestris, eo quod vestigia eorum et praecepta vobis tradita secuti estis ’. Ecce revera apud nos hodie reponuntur patris nostri iusti ossa, id est, leges quas nobis condidit ad vincendum malefactorem, ut cor patrum nostrorum delectemus si videant semen eorum afferens spiritalem fructum Deo creatori, *tamquam lignum quod plantatum est secus decursus*

* p. 212.

208. — [1] *Psalm.* CV, 13. — [2] Cf. MATTH., V, 21, 22. — [3] IOHAN., XIV, 2. — [4] I IOHAN., II, 1-2. — [5] IOHAN., XVII, 8.

aquarum[6], prout scriptum est. Nunc igitur, fratres, ne simus adeo negligentes ut labor patrum nostrorum irritus evadat et dispergatur, et nos etiam in periculo versemur *rei*que divino *iudicio*[2] fiamus cum ad patres nostros venerimus, siquidem Dominus simul ac patres nostri iusserint me inservire vobis, quemadmodum in Evangeliis dixit Dominus: *ego autem in medio vestrum sum sicut qui * ministrat*[7]; (f. 38) et etiam Abigea beato David dixit: *ut tibi serviam et lavem pedes servorum tuorum*[8], et humilitate sua servavit omnia sua ». Quae cum dixisset hegumenis monasteriorum cunctisque fratribus congregatis, pater noster Horsiesi surrexit et oravit pro eis; et laete amplexati sunt eum tamquam si viderent patrem nostrum Pachomium et Theodorum in medio sui. Et postquam oblationem diei tertii abbatis Theodori obtulerunt, comitatus est fratres monasteriorum donec educeret omnes et repeterent singuli monasteria sua in pace. Et saepe etiam ad monasteria visitanda et confirmanda in lege Domini praeceptisque patris nostri proficiscebatur.

209. Factum est etiam aliquando, cum sederet et loqueretur cum fratribus verbum Dei, quod diceret eis: « Pater noster confirmavit nos in sanctis Scripturis perfectaque Dei doctrina; ego autem puto, nisi vir cor suum bene servaverit, omnium quae audierit obliturum esse, deinde negligentia fore ut ab hoste vincatur et deiciatur. (p. 544)[1] Parabolam autem vobis dicam et mirabimini: Sicut lucernam ardentem cuius lumen adhuc praevalet si negligemus, paulatim lumen eius extinguetur et tenebrae domum tenebunt, deinde * circum venient mures et, si non viderint in illa lumen nec calorem, ellychnium trahent et comedent, et lucernam deicient et confringent; si aerea quidem est lucerna, a domino invenietur et iterum parabitur et in domo lucebit, si vero fictilis est confracta abicietur; ita etiam accidit animae paulatim negligenti: Spiritus sanctus ab ea recedit, donec ipsa tota, deficiente lumine, obscuratur; deinde hostis fervorem animae comedit et corpus etiam perdit malitia et impuritate et impudicitiis, eo quod non vigi-

* p. 213.

* p. 214.

[6] *Psalm.* I, 3. — [7] LUC., XXII, 27. — [8] I *Reg.*, XXV, 41.

209. S[3b] p. 300; G[1] § 118. — [1] Omissi sunt paginarum numeri 541-542.

lat illa nec hostem impugnat, sed negligit propriam salutem ita ut aliena fiat a regno Dei bonisque eius aeternis. (f. 39) At si vir est boni ingenii coram Deo et ingenue ad negligentiam allicitur[2], miserator Deus denuo calorem[3] suum cum memoria tormentorum immittit, ita ut ille resipiscat et sibi deinceps caveat maxima cum fiducia usque ad diem visitationis suae ». Et cum fratribus profuisset explanatione praedictae parabolae et surrexisset, oravit pro omnibus; et quisque se recepit in domum suam meditando verbum Dei.

210. Et cum audivisset[1] abbas Athanasius Alexandriae archiepiscopus, qui in provincia Šmun versabatur, abbatem Theodorum requievisse, protinus ad abbatem Horsiesi epistulam scripsit, ad eum fratresque eius sodales consolandos, his verbis: « Athanasius * Alexandriae archiepiscopus scribens salutat dilectum filium suum Horsiesi omnesque tecum fratres firmos in fide Domini nostri Iesu Christi; salutem! Cum audirem beatum Theodorum requievisse, valde gravatus sum de his quae audieram, sciens (p. 546) quanti momenti apud vos alacriter semper fuerit; idcirco, nisi superesset Theodorus, videlicet dilectus noster Horsiesi, in copiosis lacrimis multa verba vobis scripsissem de his quae post mortem eius eventura sunt. Sed in medio vestri adest etiam nunc Theodorus, videlicet, is quem bene nostis, Horsiesi; ipsi enim duo sunt unus vir, et revera si forte unus peregre proficiscebatur, amborum opus domi perficiebatur. *Beatus* Theodorus *qui non abiit in consilium impiorum*[2] videlicet diaboli pravorumque daemonum eius! Nunc igitur ne lugeamus eum, qui locum petivit e quo aufugerunt lacrimae et tristitia et suspiria, qui requiescit cum patribus suis, et qui dicit *hic habitabo quia elegi eum*[3]; neque contristemur de eo, qui adpulit ad bonum portum plenum salutis et totius tranquillitatis et laetitiae. Utinam quisque currat donec navis sua adpellat ad hunc portum! Revera Theodorus *non mortuus est, sed dormit*[4] somnum bonum coram Domino...

[reliqua desiderantur][5]

*p. 215.

[2] Incipit S^{3b} fragm. 7, col. 2. — [3] S^{3b}: [ϩο]ⲧⲉ ; G^{1}: φόβος.

210. S^{3b} p. 301; G^{1} § 150. — [1] S^{3b} fragm. 8, l. 17. — [2] *Psalm.* I, 1. — [3] *Psalm.* CXXXI, 14. — [4] MATTH., IX, 24. — [5] Periit ultimum folium huius quaternionis, quocum probabilius finem habebat haec vita s. Pachomii.

* APPENDIX I

*p. 216.

HYMNI IN HONOREM S. PACHOMII

I

Tonus « Batos ».

1. Fuit enim servus fidelis
magnus abbas Pachomius,
bene administrans
opes Domini sui.
2. Est aquila spiritalis[1]
alta petens virtutis,
donec duplicavit pecuniam Domini sui
per regulas suas apostolicas.
3. Est *tamquam lignum
plantatum secus decursum aquarum*[2]
cum familia sua,
quae est angelica.
4. Percipiet *coronam
immarcescibilem*[3] et apostolicam
operis angelici
a Rege gloriae.
5. Et sicut duces,
constitutus est legislator
reducens mundum
ad amorem Christi.
6. * O sancte Pachomi,
vir beatus,
apostolus fuisti
simul et propheta.
7. Nobis legem condidisti
ad virtutes perfectas,

*p. 217.

[1] Cf. Is., XL, 31. — [2] *Psalm.* I, 3. — [3] Cf. I PETR., V, 4.

servando mandata
in Evangelio scripta.

8. Eis qui in illis ambulabunt
Deus cohabitabit,
Angeli comitabuntur,
donec mereantur vitam aeternam.

9. Ora pro nobis Dominum,
domine pater abbas Pachomi,
auctor sanctae communitatis,
ut (dimittat nobis peccata nostra).

II

Iterum tonus « Adam ».

1. Sanctus Pachomius,
aquila magna[1],
quae alas explicat cum robore
spiritali.

* p. 218.

2. * Ad altum ascendit,
donec vidit laetitiam,
quae est in paradiso
et timorem tormentorum[2],

3. Animas iustorum
in paradiso
laetantes
in gloria Christi,

4. Animas vero
impiorum hominum
in imo inferno
et tormentis.

5. Quando resipivit
a visione,
testatus est filiis suis
ea quae viderat.

[1] Cf. S[12] p. 342. — [2] Cf. supra § 82.

6. Excitans eos
ut exercitarentur
et haereditatem haberent
cum omnibus sanctis.

7. Splendens fuit
pater noster sanctus
magnus abbas Pachomius
archimandrita

8. In mandatis
Evangelii
et illustribus factis
patrum nostrorum sanctorum,

9. Videlicet Athanasii
apostolici
et abbatis * Antonii
et abbatis Palamonis,

* p. 219.

10. Qui te nutrierunt
in doctrina Domini
et regulis sanctis
vitae monachorum.

11. Propterea fuisti
vir propheta
cinctus fortitudine
Spiritus sancti.

12. Cum ad te perrexit
angelus
in virgultis[1]
a Domino,

13. Sicut Moysi
lex est data,
sic et tibi,
o abbas Pachomi.

[1] Vel: « in palude » (δρυμός, cf. Preisigke: *Wörterbuch* s. v. et dissertationem nostram: *Un passage obscur des hymnes à Chenoute*, in ephem. *Orientalia*, 1935, p. 411-415).

14. Condidisti
communitates
quae assimilantur
incorporalibus.

* p. 220.

16. * Dux itineris fuisti
multis animabus
[...........

III

Psallia tonus « Adam ».

1. Beatus es tu,
pater noster abbas Pachomi,
aquila magna
et sancta Dei.
2. Anima tua alas explicat
in virtutibus
sicut aquilae,
secundum verbum Isaiae[1].
3. Datae sunt tibi leges
asceseos
a Deo
in tabula aenea.
4. Fuisti arca
servans animas
per communitatem
apostolicam.
5. Fuisti *fidelis*
servus et prudens[2],
dedisti amicis
cibum in tempore[3],
6. Iuxta verbum sanctum
Evangelii
praedicati
a Salvatore nostro.

[1] Cf. Is., XL, 31. — [2] Cf. MATTH., XXIV, 45. — [3] *Psalm.* CXLIV, 15.

7. Posuisti nobis iter
usque ad caelum,
per labores tuos sanctos
et humilitatem tuam.

* p. 221.

8. * Propterea dilexit te
Dominus noster Iesus,
donavit tibi
communitatem suam.
9. Posuit te doctorem
et patrem multis,
ad ostendendam eis viam
vitae sanctae.
10. Effecisti opus
omnibus utile,
scilicet communitatem
quae data est tibi.
11. Tu absolvisti
ministerium
apostolorum
in tua humilitate,
12. Cum serviisti omnibus
propter praeceptum
verbi sancti
Salvatoris nostri:
13. *Qui voluerit*
inter vos maior fieri
sit vester
minister[1].
14. Haec perfecisti
opere et verbo,
pater noster sancte
archimandrita.
15. Per preces ......

[1] MATTH., XX, 26.

IV

Iterum tonus « Batos ».

1. *Exaltatum est cornu*[1] tuum,
ô pater noster abbas Pachomi
* p. 222.
* *accepisti benedictionem*
a Domino Deo[2]. 5

2. Pater noster sanctus abbas Pachomius
multas sustulit aerumnas
a diabolo,
e quibus liberavit eum Deus. 10

3. Pater noster sanctus abbas Pachomius
saepe meruit
ut intueretur Dominum
et angelos eius sanctos.

4. Beatus es revera, 15
pater noster sancte abbas Pachomi,
quia servasti mandata
Domini nostri Iesu Christi.

5. Pater noster sanctus abbas Pachomius
exsecutus est omnes virtutes 20
et exercitia alta,
et placuit Iesu Christo.

6. Perfecit vitam suam
in senectute bona
et perfectam puritatem 25
in exercitiis duris.

7. Cum proxima fuit migratio,
monitus est a Spiritu sancto,
congregavit omnes principes
monasteriorum sibi subditorum. 30

8. Dedit eis praecepta,
quae iussit servare,
indicavit rectores
qui pascerent eos.

[1] Cf. *Psalm.* CXI, 9. — [2] *Psalm.* XXIII, 5.

9. * Tradidit piam animam suam
* p. 223.
in manibus Iesu Christi,
qui eam obtulit hostiam
Patri suo bono.

5 10. Martyr Christi
sanctus Epimachus[1],
fortis et nobilis,
et miles victor,

11. Cruciatus est
10 pro nomine Iesu Christi
in duris tormentis
* recreatus a Salvatore.

12. Post hos dolores omnes,
amputato sancto capite,
15 coronam accepit immortalem
* in Ierusalem caelesti.

13. Ora pro nobis Dominum ......

* APPENDIX II

* p. 224.

EXCERPTUM EX APOPHTHEGMATIBUS.

20 Abbas Macarius[2] alexandrinus iter aliquando fecit ad abbatem Pachomium tabennesiotam. Abbas autem Pachomius interrogabat abbatem Macarium his verbis: « Aliqui sunt fratres inobedientes; estne quidem bonum illos edocere »? Respondit ei abbas Macarius: « Doce et reprehende; iudica cum iustitia; 25 neminem autem foris iudica; scriptum est enim: *de iis qui intus sunt, vos iudicate; eos autem qui foris sunt Deus iudicabit; auferte malum ex vobis ipsis*[3] ......

[1] Cf. *Biblioth. hagiogr. orient.* s. v. Epîme. — [2] Haec narratiuncula reperitur in G³ § 160 = Am p. 641. — [3] I *Cor.*, v, 12-13.

INDEX BIBLICUS

A. — VETERIS TESTAMENTI

B. — NOVI TESTAMENTI

INDEX GEOGRAPHICUS

INDEX NOMINUM

222 / *Aeth.42.* Kurt WENDT, *Das Maṣḥafa Milād (Liber Nativitatis) und Maṣḥafa Sellāsē (Liber Trinitatis) des Kaisers Zar'a Yā'qob.* I. 1962. ii-112 p. — T : vol. 221. Cfr vol. 236.

223 / Syr.94. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Virginitate.* 1962. xii-174 p. — V : vol. 224. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212 et 218.

224 / *Syr.95.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Virginitate.* 1962. vii-160 p. — T : vol. 223. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213 et 219.

225 / Copt.31. C. Detlef G. MÜLLER, *Die Bücher der Einsetzung der Erzengel Michael und Gabriel.* 1962. viii-103 p. — V : vol. 226.

226 / *Copt.32.* C. Detlef G. MÜLLER, *Die Bücher der Einsetzung der Erzengel Michael und Gabriel.* 1962. vi-121 p. — T : vol. 225.

227 / Subsidia, 19. L. LELOIR, *Le Témoignage d'Ephrem sur le Diatessaron.* 1962. xx-261 p.

228 / Subs., 20. J. MOLITOR, *Glossarium Ibericum in quattuor Evangelia et Actus Apostolorum antiquioris versionis etiam textus Chanmeti et Haemeti complectens,* I. 1962. vii-232 p. Cfr vol. 237 et 243.

229 / Syr.96. C. VAN DEN EYNDE, *Commentaire d'Išo'dad de Merv sur l'Ancien Testament,* III. *Livre des Sessions.* 1963. iv-237 p. — V : vol. 230. Cfr vol. 126, 176.

230 / *Syr.97.* C. VAN DEN EYNDE, *Commentaire d'Išo'dad de Merv sur l'Ancien Testament,* III. *Livre des Sessions.* 1963. xliv-385 p. — T : vol. 229. Cfr vol. 156, 179.

231 / Syr.98. A. DE HALLEUX, *Philoxène de Mabbog. Lettre aux moines de Senoun.* 1963. xvi-100 p. — V : vol. 232.

232 / *Syr.99.* A. DE HALLEUX, *Philoxène de Mabbog. Lettre aux moines de Senoun.* 1963. xx-97 p. — T : vol. 231.

233 / Syr.100. A. DE HALLEUX, *Elī de Qartamīn. Mēmrā sur S. Mār Philoxène de Mabbog.* 1963. iv-23 p. — V : vol. 234.

234 / *Syr.101.* A. DE HALLEUX, *Elī de Qartamīn. Mēmrā sur S. Mār Philoxène de Mabbog.* 1963. x-25 p. — T : vol. 233.

235 / Aeth.43. Kurt WENDT, *Das Maṣḥafa Milād (Liber Nativitatis) und Maṣḥafa Sellāsē (Liber Trinitatis) des Kaisers Zar'a Yā'qob.* II. 1963. 115 p. — V : vol. 236. Cfr vol. 221.

236 / *Aeth.44.* Kurt WENDT, *Das Maṣḥafa Milād (Liber Nativitatis) und Maṣḥafa Sellāsē (Liber Trinitatis) des Kaisers Zar'a Yā'qob.* II. 1963. 107 p. — T : vol. 235. Cfr vol. 222.

237 / Subs., 21. J. MOLITOR, *Glossarium Ibericum in quattuor Evangelia et Actus Apostolorum antiquioris versionis etiam textus Chanmeti et Haemeti complectens,* II. 1963. 233-453 p. Cfr vol. 228 et 243.

238 / Aeth.45. V. ARRAS, *Collectio Monastica.* 1963. II-263 p. — V : vol. 239.

239 / *Aeth.46.* V. ARRAS, *Collectio Monastica.* 1963. II-218 p. — T : vol. 238.

240 / Syr.102. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Carmina Nisibena,* II. 1963. IV-144 p. — V : vol. 241. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218 et 223.

241 / *Syr.103.* Ed. BECK, *Des Heilig*
III-133 p. — T : vol. 240. Cfr

242 / Subsidia, 22. L. ABRAMOWS
1963. II-233 p.

243 / Subsidia, 23. J. MOLITOR
Apostolorum antiquioris vers
Graecus-Ibericus. 1963. 113

244 / Syr.104. R. HESPEL, *Sévè*
314 p. — V : vol. 245. Cfr

245 / *Syr.105.* R. HESPEL, *Sév*
246 p. — T : vol. 244. Cfr

246 / Syr.106. Ed. BECK, *Des*
III-46 p. — V : vol. 247. C

247 / *Syr.107.* Ed. BECK, *Des*
II-37 p. — T : vol. 246. C

248 / Syr.108. Ed. BECK, *Des H*
de crucifixione, de resurrect
174, 186, 198, 212, 218, 223,

249 / *Syr.109.* Ed. BECK, *Des H*
de crucifixione, de resurrecti
175, 187, 199, 213, 219, 224